Jahresbericht

über den

Schulcursus 1845–46

am

Königlichen Gymnasium zu Bonn.

Von

Nicol. Jos. Biedermann,
Director des Gymnasiums.

INHALT:

Bonn,
gedruckt bei Carl Georgi.

Caput I.

De generibus comparationum Homericarum.

Postquam commentatione illa, quae Marcoduri ante hos tres annos a me scripta prodiit, id potissimum egi, ut praeceptis veterum dicendi magistrorum ductus et naturam comparationum finesque accuratius definirem, et comparationes ubicunque laterent indagarem in disceptationemque vocarem, unus iam restat locus, qui est de generibus comparationum, tractandus, antequam ad rem ipsam diutius forsitan praeparatam accedamus. Tam late enim comparationum campus multis partibus auctus nunc patet, ut non minus propter earum multitudinem, quam varietatem certa quaedam genera statuenda esse videantur, quibus singula quaeque describi possint. Quod quam sit necessarium, facillime cognoscet, qui in examinandis et conferendis diversorum generum comparationibus diu multumque erit versatus. Etenim saepissime hoc fieri videmus, ut quod in uno comparationum genere usitatissimum eique proprium esse solet, ab altero prorsus abhorreat et vix aut nusquam occurrat. Itaque quoniam nobis propositum est naturam et usum comparationum Homericarum enucleatius explicare, ante omnia talis descriptio quaerenda est, ut quae pluribus ad idem genus pertinentibus propria animadvertimus, suo quaeque generi subiicere possimus. Quem ad finem quum antiquorum rhetorum descriptio in quatuor genera ducta illa quidem ab interiore nota, i. e. a diversa comparandi ratione (de qua cf. partic. II. cap. VII.), parum utilitatis sit praebitura, quippe quae multo maximam et gravissimam Homericarum comparationum copiam uno eodemque genere complectatur: aut genus hoc parium quod vocatur rursus in nova genera sive

species dividendum, aut ex alio fonte nova quaedam divisio derivanda erit. Illud ne faciamus, non minus paucitate Homericarum comparationum ad cetera tria genera inaequalium quae vocant pertinentium, quam quod haec comparandi forma in tota nostra disputatione parvi tantum momenti est, prohibemur. Missis igitur veterum placitis aliam et tum usui Homerico tum nostro consilio accommodatiorem divisionem si circumspicimus, offertur nobis a recentioribus, qui Homericis comparationibus operam navarunt, nova dividendi ratio, qua omnes comparationes aut simplices aut explicatas sive similitudines esse statuunt. Quae distributio etsi hoc mali habere videtur, ut ab exteriore nota, i. e. ab ambitu et mensura, sit petita: propterea tamen non est aspernanda, quandoquidem ab hac ipsa formae ratione totum Homericum usum in comparationibus effingendis et adhibendis ita pendere videmus, ut praeter diversitatem comparandi vix quidquam eorum quae de comparationibus observatu digna sunt relinquatur, quin his generibus commodissime distribuatur. Sed desideratur adhuc in hac divisione certa finium circumscriptio, ut quid cuique generi sit subiiciendum, facili negotio internosci queat. Quamquam enim in universum comparationes simplices uno alterove verbo inclusae ab iis comparationibus explicatis, quae imaginem rei ad comparandum adhibitae perfectam repraesentant, nemini ad distinguendum difficiles esse possunt: plurima tamen exempla comparationum apud Homerum inveniuntur, quae, quum pluribus verbis amplificatae varium ornatum praebeant, iure dubitationem movent, utrum simplicibus an explicatis sint adnumerandae. Quaerendum igitur erit, quem et qualem ornatum et appositionem verborum et sententiarum simplex comparatio admittat, antequam similitudo exsistat. Ut enim in universum similitudinem demum facta perfectiore rei descriptione exoriri constat; ita simplicis comparationis naturam immutari nemo putabit, etsi ad rem simpliciter nominatam modo unum alterumve epitheton vel pluribus verbis expressum, modo appositio obiecti aut simplex enuntiatum relativum accesserit. Si vero pluribus simul eiusmodi appositionibus simplex comparatio amplificatur et illustratur, aut si iis certa rei conditio vel cum interpositione personarum describitur; nihil obstare videtur, quominus, quam modo comparationem simplicem vocavimus, nunc similitudinis iustae nomine appellemus. Quam ob rem ne in magna illa copia eiusmodi comparationum, quae

eodem iure in utramque partem trahi possunt, incerti fluctuemus, periculum a nemine adhuc susceptum faciam statuendi, et quibus conditionibus veram similitudinem factam habeamus, et quamdiu comparatio quamvis varie exornata simplex maneat. Quam operam subterfugere vel ita non licere existimo, etiamsi non valde sperandum sit, circa nullas omnino comparationes dubitationem relictum iri. Etenim tam multiplex est Homeri in comparationibus cuiusvis generis formandis usus tamque mirifica constructionum varietas, ut inde a simplicissima comparatione usque ad perfectissimam imaginem satis multae vel ab eadem re petitae comparationes nobis offerantur, quas per varios, quotquot sunt vel cogitari possunt, gradus et modos ductas animadvertimus; in quibus si hic illic comparationes offendimus, quibus ab uno genere ad alterum quasi transitur, non magis mirari debemus, quam quod simili modo in definiendis rerum naturae classibus singula relinquuntur dubia et tam ad inferiorem quam ad superiorem ordinem spectantia. Praeterea ne hoc quidem quisquam exspectabit, legem sive normam nos proposituros, qua quis usus statim ex multitudine vel magnitudine sententiarum quibus comparatio comprehenditur genus certum indicare et dignoscere possit.

Primum illud quidem in universum tenendum, unde etiam tota divisio profecta est, similitudinem amplioribus quam simplicem comparationem finibus inclusam et plerumque plus una sententia amplificatam esse; sed ad iustam hanc et similitudini propriam mensuram aliud quid accedat oportet, quo tamquam interiore nota quaevis similitudo a comparatione simplici eodem fere ambitu inclusa internosci possit. Ut igitur vera similitudo conficiatur, ita debet esse comparata, ut imaginem rei certis finibus circumscriptam repraesentet, qua animus audientis vel legentis, quum a rebus de quibus agitur paulisper avocatur et in alienae rei descriptione retinetur, dulcissima voluptate perfunditur. Talis autem imago vitae vel naturae certum statum vel conditionem exhibens et suis finibus inclusa non dissimilem habet effectum atque tabella picta, quae per se constans oculos et animum in rerum et actionum depictarum contemplationem abripit in eaque defixum tenet. Neque solum quod ad effectum attinet, similitudines cum picturis conferre licet, id quod de omnibus in universum affirmare ausim, sed etiam permultae earum ab Homero ita sunt adornatae et compositae, ut a pingendi

vel fingendi perito facili opera in picturas aliaque artificia possint mutari. Cuius rei vel hoc insigne documentum esse potest, quod iam in clypeo Achillis Il. 18, 573—586 eandem imaginem leonis bovem de grege lacerantis arte factam conspicimus, quam Il. 17, 61—69 comparationi inservientem legimus. Simili ratione, quae in eodem clypeo ex deorum hominumve vita Vulcani arte efficta vides, aliis locis etsi paulo aliter disposita et adornata in comparationibus reperies. Sic imago messorum est Il. 11, 67 et Il. 18, 550; virorum litigantium Il. 12, 421 et Il. 18, 497; Martis ad proelium procedentis Il. 13, 298 et Il. 18, 516. Sed quid singula haec commemoro, quae forte hic illic iam apud Homerum deprehenduntur, cuius aetate artes in formis fingendis versantes nondum valde excultae erant. Si quis nostro tempore imagines ab Homero verbis adumbratas in tabulas referre volet depingendas, nusquam largiorem quam in ipsis comparationibus maioribus segetem habebit. Ex tanta vero cognatione imaginum quae comparationibus repraesentantur, et earum quae fingendo et pingendo exprimuntur, nihil aliud consequi volo, quam similitudinibus eandem fere ac picturis circumscriptionem et similem rerum adumbratarum sub adspectum subiectionem esse vindicandam. Atque, quod veteres (Cic. Tusc. V, 114, Quint. inst. or. X, 1, 49.) Homeri non poesin sed picturam nos videre censuerunt, id maximam partem ad huiusmodi perfectiores comparationes referendum esse puto. Cf. Spitzneri exc. XXVI. ad Il. init. Quas virtutes quibus artibus et quam diversa a pictorum aliorumque artificum ratione usus Homerus suis imaginibus conciliarit, alio loco Lessingio duce accuratius explicandum suscipiam, nunc quod incepimus persequamur, et quo clarius duo illa genera comparationum quae statuimus inter se distinguantur, ad orationis structuram similitudinibus propriam, quam supra attigimus, considerandam revertamur.

Ut statim aperiam, in quo cardinem rei verti credam, similitudinem equidem dixerim simillimam esse ei sententiarum formationi, quae in arte dicendi periodus appellari solet. Atque quantum perfecta periodus a pluribus enuntiatis multipliciter iunctis et amplificatis differt, ita inter similitudines et comparationes simplices pari prope verborum et enuntiatorum ambitu inclusas satis multum discriminis intercedit. Periodi quidem virtus in eo potissimum posita est, ut eius singula membra s. cola incisis s. commatis mixta et apta concinna auri-

busque suavi oratione induta in orbe quasi decurrant, dum absolvatur totum illud, cui vel in minimis partibus una eademque sententia subest; in similitudine vero, quae iure sic appellanda est, expositionem rei vel actionis in comparationem allatae postulamus eam, ut ex verbis et sententiis adiectis velut ex totidem lineamentis et figuris una certa et suis numeris absoluta imago in animo audientis vel legentis effingatur, quae quum ipsa per sese tum propter eius cum re comparata cognatione imaginandi vim excitat animumque cum voluptate in contemplatione retinet. Quod quanto et quali verborum et sententiarum ambitu efficiatur, ad certam normam et definitum numerum non magis revocari posse consentaneum est, quam ipsius periodi mensuram et membrorum incisorumque numerum: quamquam periodi membrorum numerum ad summum quatuor et mensuram ad hexametri modum antiqui rhetores definire conati sunt; neque immerito, siquidem nihil aliud voluerunt, quam fines constituere, quos ultra citraque rectum consistere nequit. Simile quid etiam minus de similitudinis forma et ambitu statuere ausim, quod in similitudine effingenda minoris refert, qua forma et habitu praedita incedat, dummodo imago illa quam postulamus animo obiiciatur. Quodsi quaelibet orationis forma imagini exprimendae accommodata ad similitudinem adhiberi potest, raro tamen unius enuntiati ambitu similitudo commode absolvitur, quum aut plures simul uno spiritu et tenore pronuntiatae amplificationes aures oculosque obruant et conturbent, aut propter exilitatem delineationis manca tantum et imperfecta imago evadat. Quam ob rem hanc regulam statuere non dubito, quamlibet satis explicatam similitudinem ex duobus saltem, saepius ex pluribus enuntiatis confici et absolvi; cui regulae ubicunque non satisfactum erit, non tam similitudinem quam comparationem simplicem quamvis explicatam habebimus, cuius generis mox plura exempla viderimus. Atque hanc legem quum ab omnibus poetis tum maxime ab Homero ubivis observatam esse, facile cognoscet qui ad Homericae dictionis simplicitatem et facilitatem praecipue in iungendis singulis enuntiatis conspicuam attenderit. Quae quum non minus a periodorum artificiosa structura quam a liberiore et frequentiore participiorum usu abhorreat, fieri solet, ut pluribus deinceps sententiis ne relativo quidem nexu cohaerentibus, sed demonstrativa tantum particula leviter adiunctis singulae imaginis depingendae partes exponantur. Neque

in hoc libero sententiarum decursu et eo ordine, quo res sicut gestae vel visae sunt traduntur, asyndeta et anacolutha quae vocant anxie evitantur, immo hic illic prudenter admissa videntur. Ex hac vero Homerica imaginum describendarum ratione, qua pictorum more imaginationi optime consulitur, hoc consequi necesse est, nullam omnino comparationem Homericam pro vera similitudine habendam, nisi duorum saltem triumve enuntiatorum circuitu finiatur. Sed haec lex modo ad formam comparationum attinet; quid altius praeterea postuletur, ut imago similitudine exprimatur, supra satis multis indicasse me puto. Quare etiam apud Homerum non parva comparationum copia occurrit plus uno enuntiato explicatarum, quae tamen, quum sententia adiecta vim magis explicativam quam descriptivam habeat, ab honore et numero similitudinum erunt excludendae. Quod dum exemplis confirmare adgredior, pauca quaedam ita pertractabo, ut instar multorum haberi possint, alia ob aliam causam infra proferam. Sic Il. 14, 290 sq. Somnus in abiete sedet

ὄρνιθι λιγυρῇ ἐναλίγκιος, ἥντ' ἐν ὄρεσσιν
χαλκίδα κικλήσκουσι θεοί, ἄνδρες δὲ κύμινδιν.

Quisnam similitudinem agnoscat in hac comparatione! Addita sententia nihil praeter nomen avis idque duplex affertur quicum deus simpliciter comparatur. Eodem loco ponenda est comparatio, quae legitur Il. 17, 156, ubi enuntiato relativo patriae defensores pluribus verbis explicantur hoc modo:

εἰ γὰρ νῦν Τρώεσσι μένος πολυθαρσὲς ἐνείη,
ἄτρομον, οἷόν τ' ἄνδρας ἐςέρχεται, οἳ περὶ πάτρης
ἀνδράσι δυςμενέεσσι πόνον καὶ δῆριν ἔθεντο,
αἶψά κε Πάτροκλον ἐρυσαίμεθα Ἴλιον εἴσω.

cf. Il. 2, 337; 3, 150; 7, 235. Paulo aliter se habent exempla, quale illud est Il. 21, 252, ubi Achilles saltu dato refugit,

αἰετοῦ οἴματ' ἔχων μέλανος, τοῦ θηρητῆρος,
ὅςθ' ἅμα κάρτιστός τε καὶ ὤκιστος πετεηνῶν.

Tum quod est Il. 22, 317. A cuspide Achillis fulgor micabat,

οἷος δ' ἀστὴρ εἶσι μετ' ἀστράσι νυκτὸς ἀμολγῷ,
ἕσπερος, ὃς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἵσταται ἀστήρ.

Similia habes Il. 17, 434, ubi Achillis equi immoti adstant sicut columna in tumulo divitis viri vel feminae exstructa. Cf. Il. 11, 27; Od. 9, 190. Quae

in his comparationibus addita sunt singularibus enuntiatis, hoc quidem comparationem simplicem paulo propius ad similitudinem adducunt, quod iis res, quibuscum comparatur, aliis sui generis superiores esse declarantur; attamen imaginis certae ne extremae quidem lineae conspiciuntur. Qui autem ex mensura sola comparationes metiri solet, exempla quae nunc prolaturus sum comparationibus simplicibus a me adnumerari aegre patiatur. Sint sane maiores, quam multae aliae, quas equidem propter imaginem, quam paucioribus verbis adumbratam continent, similitudines appellare malim; nihil tamen adiecta verba et sententiae volunt, nisi ut res ad comparationem allatae, quae quidem solito plures sunt, accuratius explicentur. Unum eorum exemplorum legitur Il. 22, 262 sqq., ubi Achilles, qui cum Hectore se amicitia coniungi posse negat, hac utitur duplici comparatione:

ὡς οὐκ ἔστι λέουσι καὶ ἀνδράσιν ὅρκια πιστά,
οὐδὲ λύκοι τε καὶ ἄρνες ὁμόφρονα θυμὸν ἔχουσιν,
ἀλλὰ κακὰ φρονέουσι διαμπερὲς ἀλλήλοισιν.

Hic adversativum quidem enuntiatum additum videmus, sed quid aliud continet, quam contrarium eius, quod antecedenti enuntiato dictum est? Eadem prope mensura est comparatio Il. 17, 20, qua Menelaus Panthoi filiorum ferociam cum tribus simul ferocissimis bestiis per negationem ita confert:

οὔτ' οὖν παρδάλιος τόσσον μένος, οὔτε λέοντος,
οὔτε συὸς κάπρου ὀλοόφρονος, οὗτε μέγιστος
θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι περὶ σθένεϊ βλεμεαίνει,
ὅσσον Πάνθου υἷες ἐϋμμελίαι φρονέουσιν.

Hanc comparationem, quae proprie ex tribus constat, iam nominandis rebus ad tantam magnitudinem accrevisse, nemo non videt, neque quisquam in addito enuntiato relativo offendet, qui mecum fecerit in exemplis supra allatis, quorum additis enuntiatis idem dictum erat. Huic similem etsi duplo maiorem et ipsam triplicem comparationem legimus Il. 14, 394, qua ingens clamor, quocum Troiani et Achivi congressi sunt, extollatur:

οὔτε θαλάσσης κῦμα τόσον βοάᾳ ποτὶ χέρσον,
παντόθεν ὀρνύμενον πνοιῇ Βορέω ἀλεγεινῇ·
οὔτε πυρὸς τόσσος γε πέλει βρόμος αἰθομένοιο

οὔρεος ἐν βήσσῃς, ὅτε τ' ὤρετο καιέμεν ὕλην.
οὔτ' ἄνεμος τόσσον γε ποτὶ δρυσὶν ὑψικόμοισιν
ἠπύει, ὅςτε μάλιστα μέγα βρέμεται χαλεπαίνων·
ὅσση ἄρα κτλ.

Ne quis ambitu sex versuum deterreatur, quominus simplicem comparationem agnoscat, in primis observandum, non unam, sed tres coacervatas comparationes nos ante oculos habere, quarum unaquaeque duobus versibus finitur. Quodsi singulas illas accuratius consideramus, earum prima uno etsi maiore enuntiato inclusa est; quae autem infimum locum tenet, habet illa quidem sententiam appositam, sed eiusdem argumenti, quod modo in aliis comparationibus vidimus; denique enuntiatum illud, quod media comparatio adnexum habet, quamvis ad aliud genus pertineat, brevius est, quam quo imaginem expressam putes, et vix tantum repraesentat, quantum uno enuntiato primae comparationis ob oculos ponitur. Cf. Il. 23, 315.

Sed satis sint haec exempla ad confirmandam sententiam a me propositam, comparationes aut uno maiore aut addito altero enuntiato inclusas propterea nondum similitudines fieri. Uti vero huiusmodi comparationes simplices ad solitam similitudinum formam proxime accedunt, ita e contrario non desunt exempla comparationum, quas, quum etiam minore circuitu, quam quem in multis comparationibus simplicibus vidimus, imaginem etsi leviter tantum adumbratam repraesentent, similitudines potius quam comparationes simplices habendas esse existimo. Hae vero comparationes inter similitudines ita infimum locum tenent, ut illae in simplicium comparationum numero summo sunt loco ponendae, et utroque hoc genere, quod in confinio quasi versatur, transitus fit ad aliud comparationum genus. Quod volo, planius faciant nonnulla exempla: Il. 16, 406 Patroclus hasta cominus missa Thestoris malam dextram percusserat, tum

ἕλκε δὲ δουρὸς ἑλὼν ὑπὲρ ἄντυγος, ὡς ὅτε τις φὼς
πέτρῃ ἔπι προβλῆτι καθήμενος ἱερὸν ἰχθὺν
ἐκ πόντοιο θύραζε λίνῳ καὶ ἤνοπι χαλκῷ.

Hic piscatorem conspicimus in scopulo prominenti sedentem lino et aere instructum, ut piscem captum e mari protrahat. Quid amplius pictori opus est, ut ex his indiciis imaginem effingat? Ad formam vero comparationis si spectas, omnia

uno enuntiato, cui ipsum verbum ex priore sententia supplendum deest, comprehensa sunt. Itaque est similitudo quidem, sed una e brevissimis et modo obiter indicata, quam eandem ad perfectiorem imaginem et iustiore forma elaboratam habes Od. 12, 251. Nihil differt, praeterquam quod etiam magis amplificato enuntiato continetur, similitudo quae legitur Od. 21, 406. Forma quidem paulo diversa, non maiore tamen ambitu aliae similitudines sunt, in quibus rem prius simpliciter nominatam sequitur enuntiatum relativum addito participio, quo certa rei conditio ita describitur, ut extrema saltem lineamenta imaginis cernamus. Sic Il. 17, 281 Aiax Troianorum phalanges dissipaturus

ἴθυσεν δὲ διὰ προμάχων συῒ εἴκελος ἀλκὴν
καπρίῳ, ὅςτ' ἐν ὄρεσσι κύνας θαλεροὺς τ' αἰζηοὺς
ῥηϊδίως ἐκέδασσεν ἑλιξάμενος διὰ βήσσας.

Simili modo Hectoris impetus, quo ensem vibrans in Achillem proruit, describitur Il. 22, 308

οἴμησεν δὲ ἀλεὶς, ὥςτ' αἰετὸς ὑψιπετήεις,
ὅςτ' εἶσιν πεδίονδε διὰ νεφέων ἐρεβεννῶν,
ἁρπάξων ἢ ἄρν' ἀμαλὴν ἢ πτῶκα λαγωόν.

Qui plura eiusmodi exempla videre cupit, adeat Il. 24, 80 et Od. 5, 51. Ad idem genus similitudinum breviter expositarum referendas puto comparationes, quarum enuntiato primario una brevior sententia adnexa est, ut Il. 16, 751, ubi Patroclus in Cebrionem de curru deiectum prosiluit:

Ὣς εἰπὼν ἐπὶ Κεβριόνῃ ἥρωϊ βεβήκει,
οἶμα λέοντος ἔχων, ὅςτε σταθμοὺς κεραΐζων
ἔβλητο πρὸς στῆθος, ἑή τέ μιν ὤλεσεν ἀλκή.

Perfectissima eiusdem rei imago est Il. 5, 136—144. Ut hic apposita altera sententia causa vulneris explicatur, quo leo, sua fortitudine abreptus, erat confossus ideoque stimulatus: sic in aliis eiusdem fere formae similitudinibus enuntiato per particulam *ὅτε* vel *ὁπότε* addito ad certum quoddam tempus refertur actio ad comparandum descripta. Exempla sunt Il. 18, 219 et Il. 23, 597, quorum priore Achillis vociferantis vox eximie distincta tubae clangori confertur:

ὡς δ' ὅτ' ἀριζήλη φωνή, ὅτε τ' ἴαχε σάλπιγξ
ἄστυ περιπλομένων δηΐων ὕπο θυμοραϊστέων.
ὣς τότ' ἀριζήλη φωνὴ γένετ' Αἰακίδαο.

Posteriore Menelai irati animus conditione ab Antilocho proposita mitigatus et recreatus cum rore spicas recreanti comparatur:

τοῖο δὲ θυμὸς
ἰάνθη, ὡςεί τε περὶ σταχύεσσιν ἐέρση
ληΐου ἀλδήσκοντος, ὅτε φρίσσουσιν ἄρουραι.

Nam cum Eustathio aliisque veteribus et recentioribus interpretibus in sententia comparativa supplendum esse puto ἔστι sive γίγνεται, ex quo consequitur, addendum καὶ ἰαίνει αὐτὸ i. e τὸ λήϊον; in qua liberiore orationis forma nemo offendet, qui Homericum usum cognoverit. Koeppeni aliorumque interpretatione Grammaticae necessitati magis quam imaginis veritati et perspicuitati consulitur. Cf. Il. 21, 251, ubi simili modo γίγνεται supplendum est. Exemplum similitudinis, cui sententia alia accedit per particulam ὁπότε adnexa, habes Od. 4, 791; ibi Penelopae de filio peregrinante metuentis sollicitudo ita describitur:

ὅσσα δὲ μερμήριξε λέων ἀνδρῶν ἐν ὁμίλῳ,
δείσας, ὁππότε μιν δόλιον περὶ κύκλον ἄγωσιν·
τόσσα μιν ὁρμαίνουσαν ἐπήλυθε νήδυμος ὕπνος.

Simillimam comparationem, cui aliud enuntiatum per particula εὖτε adnexum, accedit habes Od. 18, 193. His et similibus comparationibus similitudinum numerus finitus esto, et quidquid comparationum illis aut forma aut materia inferius est, ad alterum genus comparationum simplicium reiiciendum erit; cuius generis quum difficiliora et dubia exempla iam consideraverimus, nunc ad ceterorum varias et diversas formas accuratius explorandas accedamus.

Quodsi in designandis diversorum generum finibus iusti finitoris munere rite functus sum, tam multae inter se discrepantes comparationes in simplicium campo relinquuntur, ut rursus certis classibus eas disponere opus sit, antequam quid singulis proprium sit exponatur. Cuius rei primus periculum facturus ut probatam Grammaticis divisionem enuntiatorum simplicium ad comparationes simplices distinguendas transferam, pluribus causis adducor. Etenim quam cognationem supra in similitudinum et periodorum ambitu et natura cognovimus, eam

non minorem esse invenies, si comparationes simplices cum enuntiatis simplicibus contuleris. Atque praecipue hoc simile habent, ut quot sunt classes sive species enuntiatorum simplicium, totidem summo iure comparationum simplicium statui posse videantur. Ex praeceptis enim Grammaticorum recentissimorum quodvis simplex enuntiatum aut ita simplex est, ut ex solo subiecto et praedicato quae vocantur constet, aut subiectum praedicatumve vel utrumque amplificationes sive appositiones admittat; quod si factum est, enuntiatum quidem simplex manet, dumne aliud enuntiatum sive subordinatum sive coordinatum accedat, sed tamquam nudis corporis membris vestitus et ornatus circumdatus est. Quod satis magnum discrimen ut etiam nomine cuique generi proprio significaretur, illa enuntiata simplicia eaque nuda, haec simplicia eaque amplificata nominari placuit. Neque dispar ratio est comparationum simplicium; unum genus est earum, quae adeo simplices sunt, ut nihil praeter nomen rei vel personae quacum alia res vel persona confertur prae se ferant, quas simplices easque nudas nominare lubet; alterum vero genus reliquas multo plures comparationes comprehendit vario modo amplificatas, et nihilo tamen minus simplices nominandas; quas omnes eodem nomine appellare licebit, quo Grammatici ad simillimum genus enuntiatorum denotandum usi sunt.

Ut igitur a simplicissimo genere ordiar, comparationes huc pertinentes ut levi opera conficiuntur, ita facillime cognoscuntur et sponte sua se offerunt, ut exempla ubivis obvia afferre opus non sit. Nam praeter adverbium aut adiectivum similitudinis sive dissimilitudinis, de quibus copiosius disseruit Spitznerus excurs. XXVI p. 25 sqq., nihil opus est, nisi ut res quae ad comparandum adhibetur simpliciter nominetur. Num autem res ita collatae totae an ex parte aliqua aut ratione similitudinem inter se habeant, quum non diserte addatur, audienti vel legenti diiudicandum relinquitur. Sed pro certo ponere licet, Homerum his nudis comparationibus non usurum fuisse, nisi tertium comparationis quod vocant cuivis eorum qui tum audiebant notum fuisset. Quod vero multo maxima earum pars etiamnunc nobis ab illa aetate et sentiendi ratione remotissimis nullam difficultatem aut obscuritatem affert, magis mirandum arbitror, quam quod in nonnullas eiusmodi comparationes incidimus, in quibus quid poeta simile viderit incertum relinquitur. Quarum ipsarum maiori parti non parva lux eo

offunditur, quod et ipsae aliis locis explicatiore forma occurrunt. Pauca exempla quae singula et sola restant accuratiori interpretatione, cui suo loco operam dabimus, nostro sensui et intellectui accommodari posse non est quod desperemus. Verumtamen sive poeta rem totam toti conferre voluit, id quod plerumque in comparationibus quibus homines cum dis simpliciter comparantur factum videmus, sive ad partem aliquam vel rationem comparatio referenda est, ubivis fere rem cum re collatam invenies, neque apud Homerum multa exempla breviloquentiae illius inveniuntur, qua posteriores scriptores graeci et ipsi romani frequenter usi sunt, quum rem cum re quae est in persona collaturi ipsam personam non rem appellant et tamquam alterum comparatorum ponunt. Cf. Bernhardyi Synt. graec. p. 431 sqq. et Gronov. observatt. p. 606 ed. Frotsch. p. 401. Cuius comparandi rationis epicae poesi per se parum accommodatae tria solum exempla apud nostrum poetam repperi. Unum habes Il. 17, 51

αἵματί οἱ δεύοντο κόμαι Χαρίτεσσιν ὁμοῖαι.

alterum praebet Od. 2, 121·

τάων οὔτις ὁμοῖα νοήματα Πηνελοπείῃ
ᾔδη·

Quibus duobus ab aliis viris doctis iam allatis locis tertium habeo quem addam qui est Od. 13, 89, ubi navis Ulyssem vehens et fluctus secans describitur

ἄνδρα φέρουσα θεοῖς ἐναλίγκια μήδε' ἔχοντα.

A nudis et brevissimis comparationibus si nunc progredimur ad explicatas et exornatas, per gradus quosdam ducere eas poterimus inde ab appositione simplicis et unius epitheti usque ad ambitum et ornatum, qualis similitudinem magis quam comparationem simplicem decet. In ipso autem aditu finium huius alterius classis, quam ab appositione epithetorum incipiamus, offertur nobis genus quoddam epithetorum, quae quum a re cui propria sunt raro abesse soleant, perpetua vocantur, de quibus cf. Jacobi quaest. epic. cap. 1. Quibus epithetis quae comparationes coniunctae occurrunt, eas vix explicatas nominari posse puto, quum quasi in transitu finium collocatae videri possint. Quod ut confirmem, pauca exempla indicasse sufficiet. Sic omnium primum saepissime in simplicibus deorum cum hominibus comparationibus additur epitheton ἀθάνατος, quo quum nulla omnino nova notio accedat, comparationis natura eadem quae sine

epitheto fuit manet. Neque magis valere puto, si in comparationibus simplicibus Ἄρης θοός, Ἀφροδίτη χρυσέη, πῦρ αἰθόμενον, κὴρ μέλαινα, λαῖλαψ κελαίνη sive ἐρεμνή, χιὼν ψυχρή, σίδηρος αἴθων, ἐλάτη ὑψήλη, αἴγειρος μακέδνη, ἀράχνια λεπτά vocantur. Explicatae vero etsi infimo loco positae comparationes simplices habendae sunt, si addito epitheto aut vis et natura rerum comparatarum augetur, aut tertium comparationis in ipso illo epitheto potissimum cernitur. Prioris generis exempla satis multa passim obvia sunt, quorum potiora proponam. Sic Il. 5, 782 et 7, 256 est λείουσιν ἐοικότες ὠμοφάγοισιν, Od. 24, 538 ὥςτ' αἰετὸς ὑψιπετήεις, Od. 8, 115 βροτολοιγῷ ἶσος Ἄρηϊ, Il. 17, 259 Μηριόνης ἀτάλαντος Ἐνυαλίῳ ἀνδρειφόντῃ, Il. 13, 564 ὥςτε σκῶλος περίκαυστος, Il. 13, 754 ὄρεϊ νιφόεντι ἐοικώς, Od. 18, 196 λευκοτέρην δ' ἄρα μιν θῆκε πρίστου ἐλέφαντος, Il. 6, 401 ἀλίγκιον ἀστέρι καλῷ, Il. 19, 398 ὥςτ' ἠλέκτωρ Ὑπερίων, Il. 22, 134 χαλκὸς ἐλάμπετο εἴκελος αὐγῇ ἠελίου ἀνιόντος. Ad alterum genus refero Od. 18, 28

χαμαὶ δέ κε πάντας ὀδόντας
γναθμῶν ἐξελάσαιμι συὸς ὣς ληϊβοτείρης.

Od. 4, 122 ἤλυθεν Ἀρτέμιδι χρυσηλακάτῳ εἰκυῖα.

Od. 11, 605 κλαγγὴ νεκύων ἦν, οἰωνῶν ὥς,
πάντοσ' ἀτυζομένων

Il. 2, 289

ὥςτε γὰρ ἢ παῖδες νεαροὶ χῆραί τε γυναῖκες
ἀλλήλοισιν ὀδύρονται οἶκόνδε νέεσθαι,

Il. 7, 235

μήτι μευ ἠΰτε παιδὸς ἀφαυροῦ πειρήτιζε.

His adde pauca exempla duorum appositionis epithetorum, quorum unum est Il. 19, 350 Ἀθήνη ἅρπῃ εἰκυῖα τανυπτέρυγι λιγυφώνῳ, alterum Od. 20, 140 ὥς τις πάμπαν ὀϊζυρὸς καὶ ἄποτμος. Ad ornandam non minus quam ad extollendam et augendam comparationem etiam illae appositiones rei quacum alia simpliciter confertur, adhibitae putandae sunt, quae substantivi forma ad rem ipsam accedunt. Sic Il. 22, 132 (Ἀχιλλεύς) ἶσος Ἐνυαλίῳ κορυθάϊκι πτολεμιστῇ, Il. 17, 88 φλογὶ εἴκελος Ἡφαίστοιο ἀσβέστῳ, Il. 10, 153 χαλκὸς λάμφ' ὥςτε στεροπὴ πατρὸς Διός,

Il. 11, 65 (Ἕκτωρ) πᾶς δ' ἄρα χαλκῷ
λάμφ' ὥςτε στεροπὴ πατρὸς Διὸς αἰγιόχοιο.

Novum genus explicatarum comparationum simplicium proximum ab iis, quae hactenus epithetis aut exornatas aut accuratius definitas vidimus, exoritur, simul ac praeter nomen rei aut pars aliqua ad quam potissimum comparatio referatur, aut certum attributum quod res comparatae simile habent casu quarto additur. Talis autem appositio hoc praecipuum habet prae ornamentis et additamentis quae supra consideravimus, ut obscuritatem illam tollant, qua plures eiusmodi comparationes simplices laborare diximus. Rarius autem quam optamus poetae placuit hac luce nobis profecto quam eius aequalibus iucundiore comparationes suas illustrare. Saepissime vero in comparationibus quibus homines cum dis in universum aut cum singulis numinibus conferuntur, additum invenimus, ad quam partem aut quam rationem similitudo sit referenda. Qua in re non indignum quod observetur videatur, eiusmodi exempla multo plura in Odyssea quam in Iliade inveniri. Sic additi substantivi δέμας tria exempla sunt in Odyssea (3, 468; 8, 14; 23, 163); unum in Iliade (8, 305); tum εἶδος simpliciter additum est Od. 8, 174; coniunctum cum v. φυή Od. 6, 16 et 7, 209; tres simul accusativos εἶδός τε μεγεθός τε φυήν τε habes Od. 6, 151. Unus rursus accusativus additus est Od. 1, 371, ubi Phemius praedicatur θεοῖς ἐναλίγκιος αὐδήν. Accusativum μῆτιν additum in comparatione cum Iove quater exhibet Ilias (2, 169, 407; 7,47; 10, 137), cuius loco Odyssea eodem sensu habet θεόφιν μήστωρ ἀτάλαντος (3, 110, 409) cf. Od. 13. 89, quod idem in Iliade est 7, 366; 17, 477. Huc pertinet etiam comparatio forma insolita induta quae est Il. 9, 388, ubi Achilles Agamemnonis filiam se uxorem ducturum negans dicit:

οὐδ' εἰ χρυσείῃ Ἀφροδίτῃ κάλλος ἐρίζοι,
ἔργα δ' Ἀθηναίῃ γλαυκώπιδι ἰσοφαρίζοι,
οὐδέ μιν ὣς γαμέω

Luculentissimum vero exemplum triplicis comparationis ad certas corporum divinorum partes relatae habes Il. 2, 478; Agamemno describitur:

ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴκελος Διὶ τερπικεραύνῳ,
Ἄρεϊ δὲ ζώνην, στέρνον δὲ Ποσειδάωνι.

Comparationum ab aliis rebus petitarum, quibus pars aliqua aut attributum additum est, haec exempla praesto sunt: Il. 4, 253 est συῒ εἴκελος ἀλκήν et Il. 13, 330 φλογὶ εἴκελος ἀλκήν, Il. 20, 372 καί εἰ ἔοικε μένος αἴθωνι σιδήρῳ, Il. 5, 778 Juno et Minerva βάτην τρήρωσι πελείασιν ἴθμαθ' ὁμοῖαι, Od. 21, 411 de arcus nervo est: χελιδόνι εἰκέλη αὐδήν. Loco accusativi eadem vi additus est infinitivus Il. 10, 437, ubi equi vocantur ἀνέμοισι θείειν ὁμοῖοι.

Ad haec exempla additi accusativi partis aut qualitatis proxime accedunt illae comparationes simplices, quae eundem quidem accusativum adiunctum habent, sed quum is loco vocum similitudinem indicantium cum verbo habendi aut alio simili ita coniunctus sit, ut non tam res ipsae inter se comparentur, quam attributum aliquod idem esse dicatur, vix comparationes haberi possunt, saltem ita in finibus comparationum positae sunt, ut inde facillimus sit ad metaphoram transitus. Cf. partic. II. cap. II et VI. Neque ab iis sensu discrepant comparationes in verbis copulatis latentes, quamquam forma recedit. cf. l. l. Exempla potiora haec sunt:

Il. 8, 349 Hector circumagit equos,

Γοργοῦς ὄμματ' ἔχων ἠδὲ βροτολοιγοῦ Ἄρηος.

Tum Il. 1, 225 Achilles Agamemnonem alloquitur duplici comparatione utens:

Οἰνοβαρές, κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο.

Tum Il. 17, 565

Ἀλλ' Ἕκτωρ πυρὸς αἰνὸν ἔχει μένος, οὐδ' ἀπολήγει.

Denique Od. 4, 14 huc pertinet, ubi Hermione nominatur,

ἣ εἶδος ἔχε χρυσέης Ἀφροδίτης. Cf. Il. 16, 762; 21, 252. Restant tria eiusdem generis exempla, in quibus quum praepositio ἀπὸ ad genitivum accesserit, dubitari potest num vera comparatio manserit. Sed quoniam praepositio ἀπὸ saepius nullam aliam vim habet, nisi ut ortum rei, cui significandae genitivus solus sufficit, accuratius definiat (cf. Passovii lexic. s. v. ἀπό): comparationem addita praepositione sublatam esse equidem non credam, praesertim si comparationum simillimarum quas modo proposui rationem habeo. Sunt autem haec: Od. 6, 12

Ἀλκίνοος δὲ τότ' ἦρχε, θεῶν ἄπο μήδεα εἰδώς,

et eodem libro v. 18.

πὰρ δὲ δύ' ἀμφίπολοι Χαρίτων ἄπο κάλλος ἔχουσαι.

Denique Od. 8, 457

Ναυσικάα δέ, θεῶν ἄπο κάλλος ἔχουσα.

Eidem secundae classi explicatarum comparationum simplicium adnumerare non dubito eas comparationes, quibus plerumque praepositionis alicuius ope alia et nova res cum re primaria comparationis coniuncta est; quae quum neque illustrandi neque ornandi causa addita sit, sed ad hanc ipsam non minus comparatio pertineat ita, ut non res singulae sed binae quasi mutuo inter se comparentur, non immerito in nudarum potius quam explicatarum numero haberemus, si non forma magis quam materia comparationis respicienda esset. Exempla quaedam quae dixi confirmabunt: Il. 8, 271

αὐτὰρ ὁ (Τεῦκρος) αὖτις ἰών, πάϊς ὣς ὑπὸ μητέρα, δύσκεν
εἰς Αἴανθ'.

Il. 11, 383 οἵτε σε πεφρίκασι, λέονθ' ὡς μήκαδες αἶγες.

Il. 12, 293 Σαρπήδονα μητίετα Ζεὺς
ὦρσεν ἐπ' Ἀργείοισι, λέονθ' ὥς βουσὶν ἕλιξιν.

Il. 5, 476 Sarpedon Hectorem obiurgans negat quemquam fratrum eius aut affinium a se conspici posse,

ἀλλὰ καταπτώσσουσι, κύνες ὣς ἀμφὶ λέοντα,

ubi quartum comparationis membrum non diserte quidem additum est, sed facillime ex iis quae praecesserunt Diomedes intelligitur. Perquam simile est Il. 17, 460, ubi Automedon inter Troianos pugnabat

ἵπποις ἀΐσσων, ὥςτ' αἰγυπιὸς μετὰ χῆνας.

Huc praeterea pertinet Od. 19, 233, ubi Ulysses Penelopae dicit:

τὸν δὲ χιτῶν' ἐνόησα περὶ χροῒ σιγαλόεντα,
οἷόν τε κρομύοιο λοπὸν κάτα ἰσχαλέοιο.

Eiusdem generis est, quamquam alius ornatus accessit, Il. 17, 4, ubi Menelaus Patroclum occisum sentiens

ἀμφὶ δ' ἄρ' αὐτῷ βαῖν', ὥς τις περὶ πόρτακι μήτηρ,
πρωτοτόκος, κινυρή, οὐ πρὶν εἰδυῖα τόκοιο,

quae comparatio et verissima et aptissima quam immerito vituperata sit, suo loco videbimus. Alia eiusdem generis exempla sunt Od. 1, 308; 4, 413; 12, 237; 17, 110, 397. Pauca adhuc exempla supersunt comparationum ita explicatarum, ut huic secun-

dae classi subiici posse videantur, etsi alio quam quem adhuc consideravimus modo ornatae vel illustratae sunt. Quamdiu enim comparationi suum proprium verbum deest, quo quasi praedicato comparatio vim et auctoritatem enuntiati per se constantis obtinet, non est quod eam a superioribus exemplis segregemus, licet aliter et pluribus additamentis sit explicata. Brevioris formae exemplum unum praebet Ilias 17, 542, ubi Automedon exuviis cruentis impositis currum conscendit

αἱματόεις, ὥς τίς τε λέων κατὰ ταῦρον ἐδηδώς,

alterum Odyssea 21, 48; ibi porta aperta fragorem dabat ἠΰτε ταῦρος, βοσκόμενος λειμῶνι. Explicatiorum vero huius generis comparationum exemplum unum habes in eadem Odyssea 11, 412, ubi Agamemno, postquam suam per Aegisthum in caena factam caedem rettulit, ita pergit:

περὶ δ' ἄλλοι ἑταῖροι
νωλεμέως κτείνοντο, σύες ὣς ἀργιοόδοντες
οἵ ῥά τ' ἐν ἀφνειοῦ ἀνδρὸς μέγα δυναμένοιο
ἢ γάμῳ ἢ ἐράνῳ ἢ εἰλαπίνῃ τεθαλυίῃ.

Aliud exemplum est Il. 23, 712, ubi Ulysses et Aiax complexu se invicem manibus robustis corripuerunt,

ὡς ὅτ' ἀμείβοντες, τούςτε κλυτὸς ἤραρε τέκτων,
δώματος ὑψηλοῖο, βίας ἀνέμων ἀλεείνων.

Cf. Il. 8, 306; 23, 598. Nisi in his comparationibus verbum supplendum esset, nihil dubitarem eas sequenti classi subiicere, ad quam nunc accedamus, postquam unum in calce posuerimus exemplum comparationis explicatae, cuius simile aliud nondum indagare mihi contigit. Omisso enim nomine rei in comparationem allatae tam certis indiciis descriptio facta est, ut rei ipsius mentio a nullo desideretur. Il. 5, 487 Sarpedon Hectorem desidem incitaturus adhortatur, ut caveat

μήπως, ὡς ἀψῖσι λίνου ἁλόντε πανάγρου,
ἀνδράσι δυςμενέεσσι ἕλωρ καὶ κύρμα γένησθε.

Propter aliquam similitudinem conferri potest Od. 5, 371.

Quodsi, ut tandem tertiam et ultimam classem explicatarum comparationum simplicium, cuius extrema et cum similitudinibus cognatissima exempla iam supra tractavimus, absolvamus, in universum iam postulavi, ut quaecunque com-

paratio huic classi subiiciatur proprio verbo sive praedicato sit explicata: in mirifica illa Homericae orationis ubertate et varietate in primis duo diversi modi, quibus verbum hoc addiicitur, dignoscendi sunt. Aut enim nomen rei ad comparandum adhibitae, quod plerumque postposita particula ὡς vel casu tertio ab adiectivo vel adverbio similitudinis pendente antecessit, enuntiatum a pronomine relativo incipiens modo breviore modo ampliore ambitu sequitur, aut comparatio a particula aliqua similitudinis, quo etiam adiectivum relativum ὅσος et similia pertinent, exorsa pleno et per se constanti enuntiato conficitur, quod quidem rei comparatae ut protasis apodosi coniungi solet. Priore forma quae indutae sunt comparationes propius ad explicatas comparationes simplices adhuc tractatas accedunt, quandoquidem pronominis relativi natura ita fert, ut inferioris ordinis sententias adiungat; alterius autem generis comparationes ipsa sua forma praesertim ornatiore auctoritatem sententiarum per se constantium sibi vindicare posse videntur. Quare et maior copia iustarum similitudinum hoc modo formata est, et plerasque dubias similitudines eandem formam prae se ferre supra in aliquot exemplis vidimus, quibus mox alia addam. Non desunt quidem exempla quae suo loco protraham similitudinum a relativa forma incipientium et pluribus adnexis sententiis absolutarum; sed quam parum conveniens similitudinibus illa forma poetae visa sit, ipsa earum paucitate declaratur. Ceterae hoc modo explicatae comparationes quin in universum simplicibus adnumerandae sint, vix dubium esse potest, nisi forte unam alteramve similitudinem non satis explicatam quam explicatam comparationem simplicem dicere mavis. Sed quoniam formam solam hoc loco considerandam suscepimus, nunc exemplis utriusque generis allatis sententiam modo propositam confirmare et simul docere in animo est, quanta varietate utraque forma ab Homero sit elaborata. A simplicissimis comparationibus formae prioris initium fiat. Infimo loco ponenda sunt pauca exempla, quorum enuntiatum relativum nullam vim habet nisi adiectivi sive epitheti vel ornantis vel explicantis, qualia supra plura vidimus. Sic Od. 6, 243

νῦν δὲ θεοῖσιν ἔοικε, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν.

Il. 2, 337 Ὦ πόποι, ἦ δὴ παισὶν ἐοικότες ἀγοράασθε
νηπιάχοις, οἷς οὔτι μέλει πολεμήϊα ἔργα. Cf. Il. 7, 235.

Tum Il. 5, 782 λείουσιν ἐοικότες ὠμοφάγοισιν

ἢ συσὶ κάπροισιν, τῶντε σθένος οὐκ ἀλαπαδνόν,

quam eandem comparationem offendes Il. 7, 256. Ad sensum cf. Il. 17, 20, quem locum supra pag. 7 apposui. Denique huc pertinet Il. 16, 582; ibi Patroclus

ἴθυσεν δὲ διὰ προμάχων, ἴρηκι ἐοικὼς
ὠκέϊ, ὅςτ' ἐφόβησε κολοίους τε ψῆράς τε.

Multo frequentius occurrunt comparationes simplices ampliore enuntiato relativo explicatae, in quibus extrema lineamenta descriptionis alicuius vel adeo narrationis facile agnosces, quae multum praeterea adiuvatur addito plerumque uno alterove participio, praesertim si hoc ipsum loco enuntiati amplificati haberi potest. Exempla earum, quae participio prorsus carent, pauca sunt. Unum est Il. 9, 13, quod Il. 16, 3 repetitur,

ἂν δ' Ἀγαμέμνων
ἵστατο δακρυχέων, ὥςτε κρήνη μελάνυδρος,
ἥτε κατ' αἰγίλιπος πέτρης δνοφερὸν χέει ὕδωρ.

Alterum praebet Odyssea 16, 216, ubi Ulysses et Telemachus inter amplexus

κλαῖον δὲ λιγέως, ἀδινώτερον ἤ τ' οἰωνοί,
φῆναι ἢ αἰγυπιοὶ γαμψώνυχες, οἶσίτε τέκνα
ἀγρόται ἐξείλοντο, πάρος πετεηνὰ γενέσθαι,

in qua comparatione hoc etiam notatu dignum videtur, quod nulli alii comparationi per comparativum factae simile quid additum invenitur. Potest etiam huc referri Il. 3, 196, quamquam liberiore forma et nexu relativo sublato comparatio facta est. Priamus cum Helena de Ulysse quem procul conspicit colloquens haec dicit:

αὐτὸς δέ, κτίλος ὥς, ἐπιπωλεῖται στίχας ἀνδρῶν.
ἀρνειῷ μιν ἔγωγε ἐΐσκω πηγεσιμάλλῳ,
ὅςτ' οἴων μέγα πῶϋ διέρχεται ἀργεννάων.

Exempla additorum participiorum potiora quaedam apponam, alia indicare sufficiet. Il. 3, 150 Troianorum senes sedebant a bello cessantes, sed oratores boni

τεττίγεσσιν ἐοικότες, οἵτε καθ' ὕλην
δενδρέῳ ἐφεζόμενοι ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσιν.

Tum Il. 13, 570 Adamanti Meriones hastam inguini infixerat,

ὁ δ' ἑσπόμενος περὶ δουρὶ
ἤσπαιρ', ὡς ὅτε βοῦς, τόντ' οὔρεσι βουκόλοι ἄνδρες
ἰλλάσιν οὐκ ἐθέλοντα βίῃ δήσαντες ἄγουσιν.

In hac comparatione si forma paululum inflecteretur, verbis βοῦς, τόντ' in βοῦν mutatis, exemplum sequentis generis haberemus. Cf. Il. 11, 297; 17, 281; 22, 22, 308. Denique, ut etiam ex Odyssea exemplum promam explicatioris comparationis simplicis, quae a plerisque nullo iure similitudo et habetur et nominatur, Od. 5, 51 Mercurius Olympo delapsus et Calypsus insulam petens per mare ruebat

λάρῳ ὄρνιθι ἐοικώς,
ὅςτε κατὰ δεινοὺς κόλπους ἁλὸς ἀτρυγέτοιο
ἰχθῦς ἀγρώσσων, πυκινὰ πτερὰ δεύεται ἅλμῃ,

Maxime vero amplificatum apparet enuntiatum relativum, si duo simul participia continet, cuius rei exempla habes Il. 13, 178. Imbrius hasta qua ab Teucro vulneratus erat evulsa

ἔπεσεν, μελίη ὥς,
ἥτ' ὄρεος κορυφῇ ἕκαθεν περιφαινομένοιο
χαλκῷ ταμνομένη τέρενα χθονὶ φύλλα πετάσσῃ.

Tum Il, 16, 756, ubi Hector et Patroclus de Cebrione occiso

λέονθ' ὣς δηρινθήτην,
ὥτ' ὄρεος κορυφῇσι περὶ κταμένης ἐλάφοιο,
ἄμφω πεινάοντε, μέγα φρονέοντε μάχεσθον.

Cf. 24, 80.

Sed ne addito quidem altero breviore enuntiato veram similitudinem exoriri iam supra docere studuimus, siquidem sententia adiecta ad imaginem effingendam nihil confert. Quare etiam comparationem quae legitur Od. 22, 299 in simplicium numero ponendam arbitror, etsi eius formam per se similitudini satis elaboratae convenire non infitior.

οἱ δ' (μνηστῆρες) ἐφέβοντο κατὰ μέγαρον, βόες ὣς ἀγελαῖαι·
τὰς μέν τ' αἰόλος οἶστρος ἐφορμηθεὶς ἐδόνησεν,
ὥρῃ ἐν εἰαρινῇ, ὅτε τ' ἤματα μακρὰ πέλονται.

Quod enim altero enunciato additur, levioris momenti est, quam quo quidquam imaginis delineatio adiuvetur.

Ad ultimam et perfectissimam comparationum simplicium formam exemplis illustrandam nunc progressuri primum gradus quosdam sive ordines facere consentaneum videtur, quorum primo subiiciam illas quae ita simplices et omni ornatu destitutae sunt, ut demto verbo simplicissimis adnumerare eas nemo dubitaret. Exempla quae repperi haec sunt: Od. 5, 400

ἀλλ' ὅτε τόσσον ἀπῆν, ὅσσον τε γέγωνε βοήσας,

eadem formula repetitur Od. 9, 473 et 12, 181. Tum Il. 3, 12 eiusmodi comparatio adeo similitudini immixta est

τόσσον τίς τ' ἐπιλεύσσει, ὅσον τ' ἐπὶ λᾶαν ἵησιν·

Etiam minorem vim habent addita verba γίγνεσθαι et πέλειν, quae omissa non desiderantur et facile subintelliguntur. Sic Od. 9, 51

ἦλθον ἔπειθ', ὅσα φύλλα καὶ ἄνθεα γίγνεται ὥρῃ.

Cf. Il. 2, 468 et 800, ubi eadem haec comparatio legitur. Tum Od. 8, 124

ὅσσον τ' ἐν νειῷ οὖρον πέλει ἡμιονοῖιν.

Verbi simpliciter additi aliud exemplum est Od. 4, 535, ubi Proteus senex Menelao fratrem ab Aegistho necatum esse narrat

ὥς τίς τε κατέκτανε βοῦν ἐπὶ φάτνῃ.

Eodem numero habeo Il. 22, 126, ubi Hector secum colloquens, cum Achille, inquit, iam non otiose confabulari licet,

ἅτε παρθένος τε ἠΐθεός τε
παρθένος ἠΐθεός τ' ὀαρίζετον ἀλλήλοιϊν,

quae quidem comparatio paulo explicatior facta est iteratione duorum verborum, de qua docte disseruit Duentzerus in ephem. antiq. Darmstad. a. 1837. Cetera exempla omnia aut participiis aliisque ornamentis et additamentis, aut adnexo altero plerumque breviore enuntiato relativo vel demonstrativo ita sunt explicata, ut plura eorum etiam similitudines haberi possint, si modo quae addita sunt ad imaginis descriptionem conferant, id quod supra satis multis demonstratum esse puto. Ut vero, quod praecipue huius est loci, ubertatem et varietatem Homericae dictionis ob oculos ponam, uniuscuiusque generis unum alterumve exemplum adiungam, multarum autem aliarum

eodem modo formatarum comparationum locos indicabo, ut simul quas comparationes ipse similitudines agnoscere nolim aperiam. Ad quem ambitum simplices comparationes explicatae ne addito quidem participio aliis appositionibus accrescant, haec exempla doceant: Il. 9, 481 Phoenix memorat, quomodo Peleus ipsum receptum amarit

ὡςεί τε πατὴρ ὃν παῖδα φιλήσῃ
μοῦνον, τηλύγετον πολλοῖσιν ἐπὶ κτεάτεσσιν.

Il. 22, 410 Hectoris funere conspecto Priamus ceterique lamentationem eiulatumque edunt, cui maxime simile erat

ὡς εἰ ἅπασα
Ἴλιος ὀφρυόεσσα πυρὶ σχμύχοιτο κατ' ἄκρης,

In hac comparatione rarus optativi usus dignus est qui observetur; cui quum tantum in rebus quae in cogitatione positae sunt locus esse possit, non valde mirandum a plerisque comparationibus eum alienum visum fuisse. Duobus aliis locis Il. 2, 780 et Od. 10, 415 res ipsa ut nostro loco optativum postulat, a tertio autem, Od. 9, 314 coniunctivus vel aoristus indicativi non abhorreret. Maximo autem sui generis ambitu est comparatio Il. 13, 588. Heleni sagitta a Menelai thorace resilit

ὡς δ' ὅτ' ἀπὸ πλατέος πτυόφιν μεγάλην κατ' ἀλωὴν
θρώσκουσιν κύαμοι μελανόχροες ἢ ἐρέβινθοι
πνοιῇ ὕπο λιγυρῇ καὶ λικμητῆρος ἐρωῇ.

Cf. Il. 15, 170, 605; 18, 161; 24, 317. Quam prope autem comparatio simplex additis participiis ad descriptionem similitudine non indignam accedat, in uno exemplo videre lubeat. Il. 5, 770

ὅσσον δ' ἠεροειδὲς ἀνὴρ ἴδεν ὀφθαλμοῖσιν
ἥμενος ἐν σκοπιῇ, λεύσσων ἐπὶ οἴνοπα πόντον,
τόσσον ἐπιθρώσκουσι θεῶν ὑψηχέες ἵπποι.

Haec quidem comparatio multo explicatior est, quam quas supra in eodem argumento, i. e. in significanda rerum et locorum longinquitate et propinquitate versantes attulimus; sed quid accedere vel possit vel debeat, ut vera similitudo exsistat, intelliges, si Il. 23, 517 et 23, 760 contuleris. Duobus item participiis exornatas comparationes habes Il. 10, 485 et Od. 21, 406, cf. praeterea

Il. 5, 161; 11, 324; 15, 323, 690; 16, 428; Od. 5, 249, 432. Exempla additi secundi enuntiati rursus varias species habent; modo enim enuntiatum illud pronomine relativo aut particula aliqua relativa ut ὅτε, ὁπότε, ἐπεί arctius cum primaria comparationis sententia coniunctum, modo aliqua particula connectendi ut τε, δέ, δέ τε, γάρ, ἄρα leviter adnexum invenitur. Cuius varietatis exempla quoniam supra nonnulla eaque plena apposui, ad id quod nunc volumus satis erit, exemplorum cuiusvis generis copiam locis indicatis proponere. Enuntiatum ope pronominis relativi additum est Il. 13, 389; 15, 410; 16, 589; 22, 317; 23, 431; Od. 4 355; 9, 322; his adde, de quibus supra dictum est Il. 17, 157, 434. Particulis relativis alterum enuntiatum coniunctum est Il. 2, 474; 4, 130; 15, 358; 18, 219, 600, Od. 4, 791. Restant exempla comparationum duobus iuxta positis enuntiatis explicatarum, quas ut explicatissimas potius simplices comparationes quam similitudines habeam, propter argumentum imagini exprimendae non accommodatum adducor. Particula τε adnexum enuntiatum habet comparatio, quae est Od. 20, 13. In pluribus invenitur particula δέ, sic Il. 11, 62; 12, 451; 23, 692; Od. 5, 328; 20, 25. Particulas δέ τε coniunctas habes Il. 16, 633; 23 222; 23, 845, 845. Duobus locis particulae γάρ τε enuntiata coniungunt Od. 9, 391 et Il. 10, 351, quae comparatio hac quidem explicativa et prope parenthetica sententia maior est quam similis comparatio eiusdem argumenti Od. 8, 126, sed nihilo tamen minus a verae similitudinis natura longe abest. Idem valet de comparatione Od. 10, 216. Particulae ἄρα exemplum est Il. 22, 199.

In fine huius disputationis unam adhuc comparationem coronidis loco apponere et examinare a re non alienum videtur, quam quum propter formam insolitam nulli alii generi subiicere potuerim, hoc loco singulatim considerare oportet. Est autem haec Od. 6, 162, quo loco Ulysses Nausicaam secum primo congressam blanda et callida oratione sibi conciliaturus hac utitur comparatione:

Δήλῳ δή ποτε τοῖον Ἀπόλλωνος παρὰ βωμῷ
φοίνικος νέον ἔρνος ἀνερχόμενον ἐνόησα —
ἦλθον γὰρ καὶ κεῖσε, πολὺς δέ μοι ἕσπετο λαὸς
τὴν ὁδόν, ᾗ δὴ ἔμελλεν ἐμοὶ κακὰ κήδε' ἔσεσθαι —

ὣς δ' αὔτως καὶ κεῖνο ἰδών, ἐτεθήπεα θυμῷ
δήν· ἐπεὶ οὔπω τοῖον ἀνήλυθεν ἐκ δόρυ γαίης·
ὥς σε, γύναι, ἄγαμαί τε τέθηπά τε κτλ.

Amplissima sane comparatio simplex neque aliam forma aut ambitu similem reperias. Sed sublatis quae alio consilio de sua peregrinatione Ulysses immiscuit, ipsi comparationi non maior ambitus relinquitur, quam qualem in multis aliis comparationibus simplicibus vidimus. Licet enim comparatio v. 162 incepta demum v. 167 absolvatur, tamen siquis eam ad solitam formam redigere velit, tribus versibus facile complecti poterit, et comparationem explicatam illam quidem altero enunciato relativo vel causali, sed vix extremas imaginis certae lineas exhibentem conficiet. Ita autem quae ad comparationem pertinent cum itineris narratione coniuncta sunt, ut hacc comparatio maiore iure comparatio mixta appellari possit, quam aliae quae a plerisque mixtae nominari solent, quas partic. II. p. XV allegorias dicendas esse diximus.

Caput II.

De natura et usu simplicium comparationum Homericarum.

Sunt exposita iam fere ea quae ad formam comparationum eiusque diversitatem in variis generibus classibusque cognoscendam spectant. Quod si copiosius a me factum est, quam necessarium alicui videatur, praesertim in ea parte disputationis, quae ad dignoscendas simplicium classes pertinebat: praeterquam quod in re neglecta adhuc et a nullo tentata versabar, simul hoc egisse me fateor, ut comparationes simplices ab illa parte ita exploratas haberem, ut quae praeterea de earum natura et usu dicenda sunt, nunc ut supplementum vel mantissam quasi addiicere possem. Initio quidem mihi propositum fuerat altera quaestione de generibus comparationum finita inquirere, et a quibus rebus Homerus comparationes suas petierit, et ad quas res illustrandas comparationes adhibuerit; sed quum hic locus latius pateat, quam qui paucis illis huic libello

adhuc relictis plagulis absolvi possit, totum aliquod etsi in angustiores fines conclusum quam abruptam longioris disputationis partem proponere satius duco. Commendatur praeterea haec necessaria ordinis mutatio eo, quod omnia quae ad simplices comparationes per se spectatas pertinent, nunc coniuncta cum superiore commentatione ita tractare potero, ut praeter quaestionem omnibus generibus communem quam modo indicavi nullo alio loco ad simplices disputationem redire oporteat. Quod igitur simplicibus comparationibus ita proprium esse animadverti, ut in similitudinibus nunquam aut raro inveniatur, hoc sequenti disputatiuncula pertractaturus totam quantulamcunque materiam his duobus capitibus commode distribui posse puto. Primo capite simplicium per se spectatarum usus, cui forma earum non minus quam natura locum dedit, considerabitur. Alterum caput in inquirenda ea quam simplices cum similitudinibus habeant ratione versabitur.

Cap. I. Simplicium comparationum in primis nudarum et quae ad illas proxime accedunt forma adeo tenuis et flexilis apparet, ut vix locus orationis cogitari possit, a quo prorsus abhorreant. Ubicunque autem adhibentur, tamquam totidem stellulae coruscae lucem quandam diffundunt eo iucundiorem, quo minus aliis luminibus distincta est oratio sive in rebus gestis enarrandis sive in rebus et moribus describendis occupata. Sed quum haec virtus orationis illuminandae et illustrandae iis cum similitudinibus commune sit; tum hoc praecipuum habent, ut earum brevitas patiatur, ut vel iis locis adhibeantur, quibus similitudinum usus ineptus foret, siquidem non tam retardarent quam debilitarent affectum ipsius rei expositione excitatum. Quae enim animi aequalitas epicae poesi magis quam ulli alii generi propria est, ea quidem tantum abest ut poetam suo nomine narrantem vel amplissimas comparationes usquam afferre vetet, ut motus in audientium legentiumve animis concitatos ipsarum similitudinum auxilio et coercere et minuere iubeat. Sed aliter se res habet, si personae de quibus agitur ipsae loquentes et affectus quibus commoventur aperientes a poeta inducuntur. Cuius enim sensus non offendatur, si sermonis concitatioris decursus maiorum comparationum immixtione retardetur? Quare etiam colloquiis heroum Homerus alioquin comparationum amantissimus similitudines perraro immiscuit, neque ullo loco personam gravius commotam ampliore comparatione utentem

fecit, nisi forte cum Egenio de comp. Hom. p. 35 comparationem non ita magnam, qua Asii Jovem increpantis sermo finitur, excipere velis. Cf. Il. 12, 167. Ut rarissimus autem similitudinum in his et similibus locis usus animadvertitur, eo frequentius simplices comparationes quum ceteris narrationibus et sermonibus ab ipsis quae partes agunt personis factis, tum orationibus animi motus aperientibus adspersas videmus. Exemplis cuivis obviis quod dixi confirmare abstineo, ipsius rei admonuisse satis erit. Quod vero simplices comparationes hic illic adeo similitudinibus immixtae inveniuntur, hoc etiam magis quam quod hactenus attulimus, confirmatur, nullum omnino locum esse, a quo alienae sint. Qua de re quoniam infra pluribus dicendum erit, nunc de earum frequenti et iterato usu accuratius disseramus.

Iam primum satis constat, comparationum cuiusvis generis usum, in quo potissimum poetica virtus cernitur, eo frequentiorem esse praecipue in poesi epica, quo simplicior et naturae propior tota agendi et sentiendi ratio sit, qua non solum poetae, sed etiam ipsae nationes, quarum illi vates interpretesque sunt, ad reconditas naturae rerum diversarum rationes percipiendas et cognoscendas incitantur et adiuvantur. Qualem Homericae aetatis vitam fuisse quum summo iure ex ipsis Homeri carminibus coniiciamus, quid mirum tantam copiam comparationum et maiorum et minorum per omnes horum carminum partes esse diffusam, quantam apud poetas posteriorum et cultiorum aetatum frustra requiras, exceptis solum quibusdam Orientalium poetis, de quorum comparationibus etsi maxime nativis et veris, tamen ad nauseam usque repetitis praeclare docuit Goetheus; cf. opp. tom. 6. p. 76, 104; tom. 28. p. 242 ed. min. Quod etsi largam similitudinum copiam ob alias virtutes etiam magis quam simplices admiramur, tamen simplicium comparationum eo maior ubertas est, quo faciliorem earum usum poetae fuisse supra monuimus. Quemadmodum autem haec tanta in primis simplicium comparationum frequentia, qua utrumque carmen ubique obsitum quidem, at non obrutum videmus, ex vita illa Homericae aetati propria et in naturae quasi amplexu acta sponte profluxit: ita ex eadem vitae morumque simplicitate iteratum usum simplicium comparationum maximam partem ortam esse veri simile est. Cui enim poetae non erat verendum, ne audientium aures animosve offenderet, quum dierum vicissitudines, vitae quotidianae otia et negotia aliasque

res plerumque iisdem verbis describeret: is sane variatam orationem in comparationibus praesertim minoribus anxie quaerere neque debuit et ne voluit quidem, quandoquidem probatissimas quasque et certis rebus hominibusve accommodatas comparationes in formulas quasi abiisse putandum est eodem fere modo, quo certa quaedam epitheta res quarum naturam declarant perpetuo comitantia apud eundem poetam inveniuntur. Sic, ut singula exempla proferam, comparationes simplicissimae, ϑεὸς ὥς, δαίμονι ἶσος, ϑεόφιν μήστωρ ἀτάλαντος, ἶσος Ἄρηϊ, ἶσος ἀέλλῃ, φλογὶ εἴκελος, ϑηρὶ ἐοικώς et multas similes prope adiectivorum loco ubicunque occurrunt iisdem rebus et personis fere attributas videmus. Atque hunc iisdem verbis repetitum harum similiumque comparationum usum quis magis ex inopia quadam verborum et locutionum, quam ex simplicitate vitae et ipsarum comparationum derivandam esse credat, quum iam in simplicibus comparationibus explicatioribus nedum in similitudinibus summam orationis varietatem et ubertatem admirari debeamus? Eandem ob causam iteratarum comparationum maiorum perpauca solum exempla occurrunt, quae suo loco omnia ex Homerico usu explicare conabor. Nunc mihi cum simplicibus res est, quibus etiam hoc proprium est, ut quae earum maxime probatae et frequentatae fuerunt, metaphoricum usum admiserint; cuius origo et natura quoniam partic. II p. 7 sq. satis multis explicata videri potest, hoc loco quaerendum restat, quam divulgatus sit iste metaphorarum usus in Homeri carminibus, quaeque ratio inter quasdam metaphoras et comparationes ab iisdem rebus sumtas intercedat. Primum quod attinet, equidem, postquam omnes metaphoras Homericas eodem modo quo comparationes sub unum conspectum posui, in universum contendere non dubito, parce admodum et minus audacter metaphoris Homerum usum esse, si posteriorum poetarum largiorem audacioremque earum usum respicias. Quod profecto nemo mirabitur, qui, quae modo de praestantia Homericae aetatis in comparationibus ex ipsius naturae fontibus hauriendis monuimus, meminerit. Ex eadem causa, cur comparationes et frequentatae et iteratae illius aetatis hominibus placuerint, metaphorarum parvus numerus in usum vulgarem receptus esse videtur. Neque ita multa exempla metaphorarum sunt, quae non simul idque frequentius comparationum vice fungantur. Quarum paucarum origo metaphorarum ut ex aetate Homericam antecedenti

repeti potest, ita reliquas fere omnes ex ovo primum quasi prodeuntes et vix sine adminiculo incedentes conspicimus. Exempla metaphorarum quae aliis locis comparationibus inserviunt omnia proponere quum per spatii angustias non liceat, potiora quaedam sufficiant ad confirmandum quod nunc volumus. Praeter eas comparationes simplices, a quibus facillime ad metaphoras transiri potuisse pag. 15 diximus, nonnulla alia habeo quae documento sunt, quam arcte cohaerentes quasi et alligatae comparatio et metaphora apud Homerum inveniantur. Insigne exemplum est Il. 8, 163, ubi Hector Diomedem proelium declinantem ita invehitur

γυναικὸς ἄρ' ἀντὶ τέτυξο.
ἔῤῥε, κακὴ γλήνη.

Exorsus erat a comparatione; — nihil enim dubito, quin *ἀντί* hoc loco ut Il. 9, 116; 21, 75; Od. 8, 54 potestatem adiectivi *ἴσος* habeat, quae eadem vis in verbis copulatis *ἀντιάνειρα* (cf. Il. 3, 189; 5, 186) et *ἀντίθεος*, a quo nihil differt *ἰσόθεος*, inest, cf. Spitzneri exc. de vv. *ἀντί* et *ἄντα* p. LXII.; — a comparatione igitur aucto animi affectu progreditur ad metaphoram, qua quod modo hostem cum femina comparans vituperarat, nunc sublata comparatione ipsum ignavam puellam appellans attributi modo in eundem confert. Huic contrariam metaphorae et comparationis rationem cognoscere potes ex Il. 4, 274, ubi metaphoram a nube ductam usitatiorem illam quidem, ut mox videbimus, sequitur comparatio maior sive similitudo cui eadem nubis imago subest; ex quo usu licet videre, quantopere poetae animus ad comparationum ornatum inclinarit. Quam verecunde autem uno loco metaphorice divino numine ad hominem extollendum usus sit, Il. 24, 258 docemur, quo loco pater praeclarissimi filii caede adflictus illum inter mortales deum fuisse praedicat, sed statim metaphorae audaciam minuit iis quae sequuntur. Praeter hoc exemplum metaphorae a dis depromtae, cui adnumerari potest Il. 12, 188, ubi Leonteus ὄζος Ἄρηος vocatur, Homerus metaphorico usu in re tam sancta consulto abstinuisse videtur, quem sexcenties et iteratis et variatis simplicibus comparationibus a dis petitis usum fuisse constat. De liberiore autem usu adiectivorum a v. *θεός* derivatis vel cum eo copulatis, si non veras comparationes continent, hoc loco accuratius exponere supersedeo, quod suo quisque labore facile

hanc rem persequi poterit. Longe frequentissime metaphoricum usum invenimus vocis *κύων* eiusque derivatorum et copulatorum; quod vero in cane potissimum hic usus tantopere invaluit prae ceteris animalibus etiam saepius ad comparationes adhibitis, hoc ex singulari familiaritate iam inde a priscis temporibus ante Homeri aetatem cum illa bellua contracta explicari posse videtur. Attamen non tam canis virtutes, quas aeque perspectas et notas fuisse ex multis Homericis locis, ut Od. 10, 216; 17, 291 aliisque patet quam certa quaedam vitia significantur, ubi canini mores ad homines transferuntur. Sed in singulis locis explicandis ut in multis aliis rebus diiudicandis magnopere cavendum est, ne ex nostra cogitandi loquendique consuetudine statim Homericum usum metiamur. Quod quia nonulli neglexerunt, alii impudicitiam significari putarunt, quibus locis nihil nisi impudentiae notio inest, alii adeo inobedientiam quibusdam locis denotatam esse dixerunt, cuius manifestum vestigium nullo adhuc loco mihi detegere contigit. Ex omnibus locis praecipue ex comparationibus ubi canum mentio fit, diligenter collatis nihil aliud consequi puto, quam canem Homero signum fuisse audaciae cum impetuoso quodam neque tamen constanti aut satis valido furore praesertim in irruendo et persequendo coniunctae. Qualis audacia in oculis maxime conspicua quum non sine impudentia esse soleat: factum videtur, ut praeter audaciam etiam impudentiam oris significaret, quam, licet in feminis magis quam in viris sit vituperanda, aliam feminarum quam virorum esse cum Passovio dicere nolim. Atque haec quidem audax impudentia sive impudens audacia nullo loco abest, ubicunque canis naturam hominibus attributam videmus. Sed ut redeam unde digressus sum, quam vulgaris et trita quasi haec metaphora fuerit, etiam frequenti usu adiectivi *κύνεος* per omnes gradus usurpati confirmatur, quod eandem quam substantivum et adiectiva copulata significationem habet. Similia adiectiva ab aliorum animalium nominibus derivata frustra apud Homerum requiri, non valde mirandum, quum vel substantivorum metaphorici usus duo tantum exempla superioribus addere possim. Quorum primum ipsius canis notionem coniunctam habet et sensu non multum diverso a v. *κυνῶπις* ad conviciandum adhibetur Il. 21, 394, 421, ubi Minerva *κυνάμυια* vocatur; muscae autem audaciam in comparatione Il. 17, 570 descriptam habes. Alterum exemplum

est Il. 21, 483; ibi Iuno in altercatione cum Diana haec profert: mecum congrediendo impar es, licet sagittam feras,

ἐπεί σε λέοντα γυναιξὶν
Ζεὺς θῆκεν, καὶ ἔδωκε κατακτάμεν, ἥν κ' ἐθέλῃσθα.

Quae metaphora quo sensu sit accipienda, quum ex hoc ipso loco, tum ex pluribus similibus comparationibus a leone ductis liquet. Caeterum observatu dignum habeo, utramque metaphoram a dis deabusque graviter commotis usurpatam esse, qua re et audacia minuitur et insolentia huius usus excusatur. De vi metaphorica adiectivorum copulatorum θυμολέων et βοῶπις cf. partic. II. p. XVI sq. Ex animantium genere nulla alia quidem vera metaphora, sed synecdoche potius metaphorice tamen hic illic usurpata consideranda restat. Quae quum ex divulgatissima comparatione cum rebus quarum partem denotat orta et ipsa ad comparandum adhiberi solita sit, tandem ut aliae comparationes in metaphoram abiit. Ita factum est cum v. πτερόν, quod proprie eam partem avium in qua velocitas potissimum cernitur denotans per synecdochen pro qualibet ave usurpari coeptum est, ubi celeritas alicuius rei vel personae imagine repraesentanda erat. Manifestae comparationis exemplum unum est Od. 7, 36, quo loco Phaeacum naves praedicantur

τῶν νέες ὠκεῖαι ὡςεὶ πτερὸν ἠὲ νόημα.

Quae eaedem naves prae aliis vi quadam magica praeditae Od. 13, 87 cum accipitre, ave celerrima, comparantur. Metaphorice autem eodem verbo poeta utitur Od. 11, 125 et 23, 372, ubi remi navium pennae dicuntur,

ἐρετμά, τάτε πτερὰ νηυσὶ πέλονται,

in qua metaphora pennae propria significatio retineri potest, quum sensus sit, remos ita navibus ut pennas avibus celeritatis adiumentum esse. Perquam similis est locus Od. 4, 708; ibi Penelope de filio absente sollicita naves ἵππους ἁλός vocat; cf. Nitzschium ad h. l. qui non tam equos quam currus cogitandos esse docet. In alio exemplo comparationis a penna ductae adhuc dubitatur, utrum comparatio an metaphora sit habenda. Il. 19, 386 Achilles expertus erat, num nova Vulcani arte facta arma sibi aptae essent et liberum corporis usum permitterent; tum poeta pergit:

τῷ δ' εὖτε πτερὰ γίγνετ', ἄειρε δὲ ποιμένα λαῶν.

Ita Spitznerus librorum fide et Eustathii auctoritate fretus scripsit, quamquam Buttmannus (cf. Lexilog. II. p. 229) eodem sensu ἠΰτε maluit et Wolfius aliique cum Aristarcho αὖτε receperunt. Quod etiamsi particula αὖτε non ita prorsus otiosa et a toto sententiarum nexu aliena sit, tamen equidem vel propter audaciam metaphorae alias apud Homerum insolitam Spitzneri lectionem praeferam, siquidem nemo Scholiastae cuidam credat, omissam particulam similitudinis subintelligendam esse; quae audacia quum etiam maior sit, quam ipsius metaphorae, in comparatione Homerico ingenio et usui accommodatiore acquiescamus, cuius sensum explicant quae sequuntur comparationem, ἄειρε δὲ ποιμένα λαῶν: arma, nam aliud subiectum cogitari nequit, Achilli facillimum artuum usum permittebant et ut pennae avem sursum elevant et facile per auras ferunt, ita heros armis divinis indutus sublime ferri visus est. Metaphora autem, quam modo in substantivo aspernati sumus, eo audacior redit in adiectivo πτερόεις et verbis copulatis ἄπτερος et χρυσόπτερος eodem fere modo de quo supra, ubi de derivatis et copulatis a v. θεός sermo fuit, monuimus. Cf. Welckeri comment. de v. χρυσόπτερος in mus. Rhen. tom. 6. p. 581. Quin etiam in verbo πέτεσθαι plerumque metaphora evanuit et singularis celeritatis notioni cessit, quamquam quibusdam locis ad propriam volitandi notionem recurrendum est.

Quodsi nunc pennis Homericis instructi in coelum avolamus, ne in hac quidem regione multo plura translationum simul et comparationum exempla offendimus. A nube ordiamur, qua metaphorice simul et ad comparandum eodem loco Homerum usum esse supra p. 28 iam indicavimus. Praeterea nubem metaphorice usurpatam habes Il. 16, 66 (κυάνεον Τρώων νέφος), quam eandem metaphoram Il. 17, 755 adeo maiori comparationi immixtam invenimus; ad allegoriam propius accedit eiusdem imaginis usus Il. 17, 243, ubi est:

πολέμοιο νέφος περὶ πάντα καλύπτει,

et Il. 17, 591 de Hectore memoratur:

τὸν δ' ἄχεος νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα.

Ad adiectiva ex eodem verbo copulata si transgredimur, rursus liberrimum usum animadvertere licet. Etenim in adiectivis κελαινεφής et ἰοδνεφής vix comparationis aut metaphorae vestigium relictum est, in cuius locum notio obscuritatis et nigritiae successit. Sed tamen idem poeta nubis imaginem et ad

simplicem comparationem Il. 23, 366, (ὥςτε νέφος ἠὲ θύελλα) et ad similitudinem Il. 5, 522 adhibuit. Cf. Il. 16, 297. Ita inde a maiore comparatione usque ad evanescentem fere metaphoram per gradus quosdam quasi ductam eandem notionem uno in conspectu videmus. In cognata autem imagine noctis ultra simplicem comparationem et metaphoram usus non est progressus; comparationi inservit Il. I, 47; 12, 493; Od. 11, 606, metaphorae vero Il. 13, 425 in locutione ἐρεμνῇ νυκτὶ καλύψαι. Non multum differt usus v. fulguris, quod et ad nudam comparationem simplicem Il. 10, 154 et ad explicatiorem Il. 13, 242 adhibitum invenitur. Cf. Il. 10, 5, ubi similitudinem a frequenti fulguratione petitam habes. Vulgaris eiusdem notionis metaphora est Il. 11, 84; 19, 363, (quo ultimo loco altera audacior metaphora in v. γελᾶν accessit); Od. 4, 72; 14, 268.

E vita humana haec exempla praesto sunt: Turris in simplici comparatione occurrit Il. 462, ubi de procumbente heroe est: ἤριπε δ', ὡς ὅτε πύργος, et Il. 7, 219 ubi Aiax incedit φέρων σάκος ἠΰτε πύργον. Translata autem eadem imago est ad eundem Aiacem, cuius scutum modo cum turri comparatum vidimus, Od. 11, 555, ubi Ulysses in orco Aiacem ita compellat: τοῖος γάρ σφι πύργος ἀπώλεο. Ad metalla iam transeuntes adiectivorum χάλκεος, ἀργύρεος, χρύσεος, σιδήρεος multiplicem quidem metaphoricum usum offendimus, substantivorum autem et metaphorico et comparativo usu Homerus abstinuisse videtur praeter unum v. σίδηρος, quod et in comparationibus invenimus Od. 19, 211, 494; Il. 20, 372, et in metaphoram abiit Il. 4, 510, ubi Apollo Troianos adhortans, ne cedant Achivis, hanc causam affert:

ἐπεὶ οὔ σφι λίθος χρὼς οὐδὲ σίδηρος.

De metaphorico adiectivorum modo laudatorum usu pluribus locis perperam explicato multa habeo quae dicam, sed nunc mihi est festinandum, ut quae satis multa adhuc restant, si minus ut volui absolvam, at certe ad finem quendam perducam.

Ad tertium igitur locum primi capitis huius disputationis accedam, quo de coacervatione tam rerum in una eademque comparatione ad comparandum adhibitarum, quam comparationum ad eandem rem a variis partibus illustrandam coniunctarum inquirendum est. Quod ad primum coacervationis genus attinet,

iam ex ipsa verae similitudinis imaginem certam repraesentantis natura consequitur, plures simul res sive animatas sive inanimatas actionis vel descriptionis primas partes agere non posse, ut non unius imaginis loco duae pluresve existant. Itaque Homerus subtilissimo sensu fere ubique ductus eiusmodi rerum plurium in similitudinibus coniunctarum usu ita abstinuit, ut praeter unum exemplum quod et ipsum suam habet excusationem alterum afferre nequeam. Est autem illud Il. 2, 459, quod ita incipit:

τῶν δ', ὥςτ' ὀρνίθων πετεηνῶν ἔθνεα πολλά,
χηνῶν ἢ γεράνων ἢ κύκνων δολιχοδείρων —

In hac comparatione quum id potissimum agatur, ut qualem strepitum et clangorem turbae avium in terram considentes faciant, imagine repraesentetur: nihil refert, quot et qualia avium genera nominentur, et audienti legentive inter plura eligendi potestas datur. Ita tria illa certarum avium genera ad ipsam imaginem non multo maioris momenti sunt, quam quum in aliis similitudinibus res inferioris ordinis duae aut tres, quin uno loco (Il. 10, 5 sqq), quod utique mirum videri potest, quatuor inveniuntur. Quod vero in rebus primariis similitudinum ferri nequit, id eo convenientius et frequentius in simplicibus comparationibus occurrit, et ipsa haec rerum coacervatio poetae singularem et facultatem et voluntatem quaelibet quae similia cognoverat comparandi ostendit. In plerisque eiusmodi comparationibus d u a s res ad comparandum adhibuisse Homerus satis habuit, t r i u m rerum iuxta positarum duo insignia exempla pag. 7 iam consideravimus, nunc aliorum tantum locos indicare licet, qui sunt Il. 13, 389; 22, 151; Od. 2, 119. Unicum exemplum, in quo cum q u a t u o r rebus comparatio facta est, Il. 13, 635 praebet, ubi Menelaus omnium rerum prius satietatem hominibus oriri affirmans, quam Troianorum belli cupiditas satietur, quatuor res maxime expetitas nominatim affert; quod quum per enumerationem partium quae vocatur fiat, non est quod de numero rerum magis miremur quam de insolita comparationis forma, de qua partic. II, c. VII. p. 19. diximus. Cf. similem enumerationem in comparatione etiam magis insolita forma praedita Il. 23, 315.

Iam vero si particulas quibus singulae illae res connectuntur consideramus, disiunctiva ἤ sive ἠέ in plerisque eiusmodi comparationibus, quae ad viginti

sunt, usurpata satis declaratur, inter singulas res prout cuique lubeat eligendi copiam factam, qua in re hoc non magni refert, utrum res illae eiusdem an diversi generis sint. Uno loco Il. 2, 289 antecedentem particulam ἤ sequitur τε arctius res ceteroquin consimiles coniungens; οὔτε ter repetitum in triplicibus comparationibus supra vidimus. Coniuncta autem disiunctiva ἤ cum copulativa καί, ut Od. 11, 207 σκιῇ εἴκελον ἢ καὶ ὀνείρῳ, gradationem quandam continet. Neque tamen multum differt usus copulativae καί vel ἠδέ, nisi καί repetitum aut cum vocula τε coniunctum est; qua coniunctione indicatur, utramque simul rem in comparationem vocandam esse ut Il. 2, 468.

De coniunctione plurium comparationum simplicium ad unam rem a diversis partibus illustrandam nunc dicturo mihi vix opus est, ut ex ipsa simplicium natura hunc usum sponte quasi profluere moneam. Quid enim obstat, quominus poeta, praesertim talis qualem Homerum cognovimus, alicuius rei vel personae partes vel proprietates explicaturus singulas singulis comparationibus simplicibus illuminet? Quod si pluribus maioribus comparationibus fieret, oratio nimis retardata et putide ornata videretur; neque infitior propter conglobatam in unum multitudinem similitudinum hic illic suspicionem quandam interpolationis mihi subortam esse, qua de re plura dicenda erunt, ubi ad locum ad quem haec quaestio pertinet pervenero. Hoc loco meum esse duco, Homericum usum coacervatarum comparationum simplicium exemplis aliquot allegatis ob oculos ponere. Et quidem ea primum proponam, quae etsi ex pluribus proprie constant, tamen, quum eadem formula comparationis inclusae et in unam quasi contractae sint, unius tantum comparationis speciem habent. Huiusmodi in primis est comparatio supra p. 114 apposita, qua Agamemno cum tribus dis a variis corporis partibus confertur, et tamen eam statim sequitur comparatio explicatior eiusdem ducis cum tauro boves ducenti. De quatuor comparationibus quae inde a v. 455 praecesserunt, nunc nihil dico; in nostra autem quadruplici comparatione in uno homine illustrando occupata, quam plus uno nomine et veteres et recentiores vituperarunt, facere non possum, quin omnia vel subtilissimo sensui probanda et usui Homerico accommodatissima habenda esse affirmem. Nisi enim ex aliis quoque locis cognitum haberemus, Homero certas et definitas deorum dearumque imagines animo saltem obversatas esse,

ex hac ipsa comparatione hoc discere possemus. Cf. Naegelsbachii theolog. Hom. p. 174. Quam igitur augustiorem et speciosiorem ducis imaginem effingere potuit, quam quod divinorum corporum praeclarissimas quasque partes suo duci dare voluit? Atque quo iure poeta Dianae statura, Gorgonis oculis, Gratiarum comis ad singulas comparationes usus est, eodem ei licuit ad celebrandum eximium ducem tres simul deos in suam rem conferre, id quod ipsum aliis similibus locis fecisse mox demonstrabo. Quod vero Porphyrius hanc comparationem vituperavit, quia a dis exorsa in tauro desineret; hoc nemini mirum videbitur, qui Homerum non rerum dignitatem sed similitudinis veritatem in comparando curantem aliis locis res etiam dissimiliores ad comparationes adhibuisse cognitum habet. Neque multum differt comparatio duplex quae est Il. 9, 389, (cf. p. 14,) quamquam hic non tam partes corporum divinorum, quam virtutes deabus propriae conferuntur. In partibus animalium comparandis versatur comparatio quae est Il. 1, 225, cf. p. 15.; ad partem corporis simul et ad animi proprietatem pertinet Il. 20, 371 quae comparatio v. 372 repetita est.

Plura nobis exempla offeruntur comparationum simplicium in uno loco coacervatarum, quarum unaquaeque per se constans aliam rei comparandae proprietatem illuminat. Huiusmodi sunt comparationes duae, quae Il. 2, 764 iuxta positae leguntur, ubi equi laudantur, quos Eumelus agitabat

ποδώκεας ὄρνιθας ὥς,
ὄτριχας, οἰέτεας, σταφύλῃ ἐπὶ νῶτον ἐΐσας.

Similia habes Il. 10, 437; 21, 251; Od. 9, 289, 292; 19, 233. Neque ab hoc loco alienae sunt duae illae coniunctae comparationes, quibus Il. 18, 56 Thetis cum Nereïdibus et v. 437 cum Vulcano sortem filii ita conqueritur:

ὃ δ' ἀνέδραμεν ἔρνεϊ ἶσος.
τὸν μὲν ἐγὼ θρέψασα, φυτὸν ὣς γουνῷ ἀλωῆς.

Etenim si sub v. ἔρνος cum Passovio praecipue olivarum et palmarum germen iuveniliter enascens intelligitur, ad novam comparationem transitur v. 57, qua idem filius cum planta cuiuslibet generis praesertim in hortis colenda confertur. Restat unum exemplum duarum simplicium comparationum explicatiorum, quae Il. 2, 144—9 leguntur. In hoc loco explicando plurimi interpretes, qui quidem talia curant, magnopere laborant, et iure Heynius eum interpolatum ha-

buisset, si utraque comparatio idem tertium comparationis haberet. Sed etsi Homerus, qui alias addita una alterave voce illud tertium comparationis ipse monstrare solet, hoc loco in apodosi posterioris comparationis verbum κινήθη repetiit, quam eandem in protasi prioris comparationis praemiserat: tamen agitatio concionis alia cogitari potest cum fluctuum aestu collata, alia cum segetibus vento iactatis comparata. In illa comparatione concionis perturbatio in universum adumbratur, in hac concio aristarum vento percussarum modo praeceps proruens repraesentatur. Cf. Naegelsbachii adnott. ad Iliad. 2, 148. Quodsi cui haec explicatio acutior quam verior videatur, cum Heynio primam comparationem interpolatam habere debebit. Haec habui quae de simplicibus comparationibus uno loco coniunctis dicerem; quid de pluribus tam minoribus quam maioribus non quidem iuxta positis sed exiguo intervallo interposito occurrentibus sit statuendum, alii loco inquirendum relinquam.

Cap. II. Iam si quaeritur, quam rationem simplices comparationes et similitudines inter se habeant, in superiore disputatione fieri non potuit, quin nonnulla huc pertinentia attingerem et, quantum per spatii angustias licuit, absolverem; sed huic loco hoc praecipue relictum est, ut primum simplices comparationes ab Homero interdum maioribus comparationibus intextas esse demonstrem; tum si ad originem et materiam utriusque comparationum generis spectas, quomodo Homerus ab iisdem rebus nunc simplices comparationes tam nudas quam explicatas, nunc similitudines easque diversas duxerit, considerandum erit. Duplici autem modo comparationes minores maioribus immixtas invenimus. Aut enim in protasin periodi comparativae, quae quidem plerumque comparationem continet, aut in apodosin nova comparatio minor infertur; prius si factum est, imaginem imagine quasi collustratam conspicimus. Quali imaginum coniunctione quum audientis animus facile obruatur et confundatur, nisi altera usu ita contrita quasi et hebetata sit, ut prope verbi proprii loco haberi possit: Homerici sensus subtilitatem admirari debemus, quod etsi comparationum amantissimus ista imaginum commixtione ita temperanter et prudenter usus est, ut quotiescunque novam comparationem immiscuit, vel severissimo harum rerum existimatori satisfaciat. De comparationibus in verbis copulatis et adverbiis quibusdam latentibus (cf. part. II. p. 15 sqq.) vix opus est, ut moneam earum

in comparationibus usum nusquam impedire aut turbare posse. Quare eiusmodi exempla, quae ne multa quidem sunt, afferre non operae pretium duco. Verioris comparationis alii immixtae exemplum supra p. 21 ob aliam causam appositum unum quod est Il. 3, 12 eo facile excusatur, quod haec comparatio ut multae aliae huius generis in locum verbi proprii successisse putanda est. Neque magis offendimus in altera comparatione, quam Il. 4, 277 (μελάντερον ἠΰτε πίσσα) similitudini intextam invenimus. Ipsa enim similitudo tam late diffusa est, ut copiosiorem expositionem addita parva imagine illustratam potius quam turbatam dixerim. Quod restat exemplum Iliadis, quo loco (18, 109) χόλος describitur,

ὅςτε πολὺ γλυκίων μέλιτος καταλειβομένοιο
ἀνδρῶν ἐν στήθεσσιν ἀέξεται, ἠΰτε καπνός,

continet illud quidem duas comparationes uno enuntiato inclusas; neque tamen, quum neutra simplicissimae comparationis fines excedat, earum coniunctio quidquam offensionis habet, sive comparationes illae in comparationum iuxta positarum numero ponuntur, sive imaginem imagini immixtam habere mavis. Frequentius autem quam in protasin periodi comparativae in apodosin nova eaque plerumque simplicissima comparatio inducitur. Quae si rursus alia ex parte, quam praegressa comparatione maiore factum est, subiectum vel praedicatum illuminat, nihil profecto est quod miremur. Sic quae comparatio Il. 6, 513 subsequitur ὥςτ' ἠλέκτωρ, ad armorum splendorem pertinet, quum similitudine antecedenti Hectoris animus superbiens et exsultans repraesentetur. Similia exempla suppeditant Il. 11, 295, 473; 20, 490; Od. 13, 89; 16, 21. Duobus locis Il. 11, 66 et Od. 10, 410 nova comparatio demum secundo apodosis membro continetur; quam ob rem non multum differunt a comparationibus eodem loco coacervatis quas modo consideravimus.

Denique respectu materiae non solum ab una eademque re nunc simplices comparationes, nunc similitudines petitas saepissime invenimus, sed etiam plures simplices vario modo explicatae et similitudines multipliciter variatae ad eundem fontem revocandae sunt. Quin etiam non desunt exempla, in quibus nudam comparationem simplicem statim sequitur comparatio maior, quae rem modo leviter indicatam nunc copiosius et ornatius explicat. E magno numero

comparationum quae ab eadem re ductae locis aliis alia ratione conformatae occurrunt, haec potiora exempla sufficiant, et primo loco ea ponam, quae modo simplicium, modo explicatiorum comparationum speciem habent. Sic, ut rursus a dis incipiamus, Dianam et in comparatione simplici Od. 6, 151 et in eodem libro v. 102 in similitudine exornatissima offendimus. E vita humana ἀοιδοῦ s. rhapsodi imaginem simplicem habes Od. 11, 368, ornatiorem autem Od. 17, 518. Cf. Od. 21, 406. Patris filium reducem amplectentis laetitia simpliciter ad comparandum adhibetur Od. 17, 110, ornatius et explicatius Od. 16, 17. Cf. Il. 9, 480. A sagittarum emissione simplex comparatio petita Od. 12, 102, explicatior Od. 12, 83. Cum celeritate cogitationum simpliciter comparatur Od. 7, 36, perfectam eiusdem rei imaginem praebet similitudo quae est Il. 15, 80. Item somnio poeta ad simplicem comparationem usus est Od. 11, 207, 222; ex qua eadem re Il. 22, 199, quamquam alio consilio, similitudinem effinxit. Pari ratione columna in simplici comparatione occurrit Il. 13, 436, in explicatiore Il. 17, 434. Similia invenies de amussi, si Il. 2, 765, cum Il. 15, 410, de lebete fervente, si Od. 12, 237 cum Il. 21, 362 contuleris. Ex animalium genere ut comparationes a leone petitae et multitudine et varietate principem locum tenent, ita ad confirmandum id quod nunc volumus plurima exempla suppeditant; sed quum haec omnia alio loco exempli causa certo ordine disposita sub unum conspectum ponere in animo est, nunc ad comparationes ab aliis belluis sumtas progrediar. A canibus leonem timentibus ducta simplex comparatio est Il. 5, 476; similitudo 15, 271. Tauri mugientis imago simplicissima est Il. 21. 237, exornata Il. 20, 403. A mulis petitam simplicem comparationem habes Od. 8, 124, eandemque duobus versibus ampliorem Il. 10, 350. Equos currui iunctos supra per synecdochen p. 30 pro ipso curru ad naves translatos vidimus, verum Od. 13, 81 in comparatione explicatiore eosdem quadriiugos cum nave celeri collatos conspicimus. Duorum illorum locorum, qui soli equitandi artem et usum Homericae aetati non ignotum fuisse produnt, unus (Od. 5, 371) simplicem comparationem ab equite, i. e a viro equo inhaerenti ductam exhibet, alter eandem imaginem equitis desultoris perfectissima similitudine expressam ostendit Il. 15, 670. Nec vespertiliones stridentes aspernatus est Homerus, quibus et ad simplicem

comparationem Od. 12, 433 et ad explicatiorem Od. 24, 6 usus est. Inter comparationes a rebus naturae inanimatis depromtas non minorem copiam eodem duplici modo formatarum offendimus. Sic fulgur, cuius usum metaphoricum supra consideravimus, ad simplicem comparationem adhibitum est Il. 11, 65, ad explicatiorem Il. 13, 242. Idem factum est cum arcu coelesti, cf. Il. 11, 27 cum Il. 17, 547. Eadem videre licet de vento, cf. Il. 19, 415, ubi explicatiorem comparationem invenies, et Od. 6, 20, ubi simplicissime cum vento comparatur; ex quibus comparationibus colligere licet, non minus veram comparationem contineri formula illa *ἅμα πνοιῇς ἀνέμοιο*. Tum ab igne saepius comparationes simplices ductae sunt, ut Il. 11, 596; 13, 674; 17, 366, 565, et simul ab eodem igne nunc urbem nunc silvam devastantis petitas similitudines praeclaras habemus Il. 17, 736 et Il. 11, 155. Fumi imago simplex est Il. 18, 109; 23, 100, ad similitudinem efficta Il. 21, 522; cf. 18, 207. Cum monte simpliciter comparatur Il. 13, 754; Od. 10, 113, explicatiore simulque obscuram comparationem nudam illustranti forma Od. 9, 191. Arbores caesae simpliciter cum heroibus procumbentibus comparantur Il. 5, 554, saepius autem eadem imago maioribus comparationibus repraesentatur, ut Il. 13, 388; 14, 414; 16, 482. Comparatio germinis de quo supra dictum est simplex est Il. 18, 56, exornatior Il. 17, 53; Od. 6, 160. Denique a foliis simplex petita comparatio est Il. 21, 464, explicatior Il. 6, 146.

In exemplis hactenus allatis duplici modo unam rem ad comparationes adhibitam vidimus, in iis quae nunc proferam eandem rem per tres saltem gradus ductam conspiciemus. Sic Martis bellatoris imago quam passim simplicissimam offendimus, exornatior est Il, 7, 208, ad perfectam vero similitudinem elaborata Il. 13, 298. Eodem modo per tres gradus ducta est comparatio ab hastae iactu petita, cf. Il. 21, 251; 15, 358; 16, 589. Ad celeritatis eximiae notionem exprimendam accipitris imagine poeta simplicissime utitur Il. 13, 819, eadem paulo ornatior est Il. 15, 237; 16, 582, ad similitudinem accedit Il. 13, 62, cf. Od. 22, 302. Pari modo cum aquila simpliciter comparatur Od. 24, 538; Il. 22, 308; explicatius Il. 22, 308; eiusdem acies oculorum insigni similitudine illustratur Il. 17, 674. Piscium retibus vel hamo captorum simplicem comparationem invenimus Il. 5, 487, explicatiorem Il. 16, 406, ornatissi-

mam Od. 22, 383. Item stellarum fulgore nunc ad simpliccem eamque nudam comparationem Homerus usus est Il. 6, 295; Od. 15, 106, nunc ad explicatam Il. 5, 4; verum Il. 22, 26 a Sirio, splendissima stella, similitudinem praeclaram petiit. Cum nivibus decidentibus forma etiam magis varia Homero comparare placuit. Simplicissime hoc factum est Il. 3, 222, vario modo explicate Il. 12, 156; 15, 170; 19, 357; copiosa autem et exornata similitudo ab eadem re petita est Il. 12, 278. Denique turbinis et procellae imago tripliciter variata invenitur; simpliciter passim occurrit, ut Il. 11, 747; 12, 40, 375; 13, 39; 20, 51; in comparatione explicata Il. 11, 297; ad similitudinis ambitum expolita Il. 13, 795.

Restant exempla, in quibus simplicissimam comparationem statim sequitur eiusdem copiosior expositio. Quod etsi Homero magis quam comparationibus simplicibus proprium esse apparet, tamen quoniam ad rationem quae inter comparationes minores et maiores intercedit pertinet, hoc loco non negligendum esse putavi. Non valde mirabere de ratione, qua hoc Il. 3, 196 factum est; (cf. pag. 19) ubi Priamus Ulyssem primum cum ariete comparat, tum autem statim hanc simplicem comparationem alia ornatiore comparatione ab eodem ariete licet mutato nomine petita explicat. Perquam simili modo Il 11, 546 Aiax ab ipso Iove timefactus dum scuto deiecto recedit, ferae (θηρί) similis circumspectans et subinde se convertens lenteque genua alternans describitur; quam simplicissimam comparationem statim subsequitur splendidissima similitudo per octo versus ducta et a leone stabula a quibus prohibitus fuerat tandem relinquenti petita. Praecesserat quidem hanc leonis imaginem comparatio cum fera qualibet; sed quum sub v. θήρ plerisque locis leo, paucissimis autem lupi aliaeque ferae cogitari debeant: nihil dubito, quin hoc loco quo ipsius leonis descri ptio statim sequitur, nulla alia fera sit cogitanda. Neque dispar ratio est comparationis simplicis, quae Il. 3, 2 (ὄρνιθες ὥς) est quamque statim sequitur similitudo a gruibus, i. e a certo avium maiorum (ὀρνίθων) genere depromta. Postremo ab hoc loco non aliena videntur duo exempla, quorum uno quod ob aliam causam supra p. 28 consideravimus metaphoram a nube ductam statim subsequitur similitudo ab eadem imagine petita. Alterum quod est Il. 19, 374—379 ceteroquin huic simile eo differt, quod usum etiam liberiorem eiusdem notionis diverso sensu usurpatae ostendit. Poeta

enim verbum σέλας, quod aliis locis nunc splendorem in universum, nunc splendorem ignis aut fulminis denotat, et tam propria significatione quam ad simplices comparationes et addito genitivo πυρός ut Il. 19, 366 et omisso ut Il. 19, 17 usurpatur, nostro loco in descriptione scuti Achillis primum sensu proprio coniunxit cum alia simplici comparatione hoc modo:

τοῦ δ' ἀπάνευθε σέλας γένετ', ἠΰτε μήνης,

tum autem similitudinem ab eadem notione ductam additis quidem verbis πυρὸς αἰθομένοιο adiecit; neque tamen haec ipsa eum impedivit, quominus in apodosi eiusdem periodi comparativae ad propriam significationem rediret.
